348.704
N598

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/selectaedisputat0000nico

NICOLAI NILLES
E SOC. JESU

SELECTAE

DISPUTATIONES ACADEMICAE

JURIS ECCLESIASTICI.

FASCICULUS I.

I — III.

ALMA COLLEGE
348.704
LIBRARY
N598
Alma, California

PERMISSU PRAESIDUM.

BIBLIOTHECA PRIVATA
THEOLOGI
S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE
BIBL. EX.
P. R.

OENIPONTE.
TYPIS ET SUMPTIBUS FELICIANI RAUCH.
MDCCCLXXXVI.

34383

Imprimatur.

Brixinae 28. Martii 1886.

† Simon,
Eppus. Brixinen.

I.

DE JURIDICA VOTORUM SOLEMNITATE.

Accedit

Declaratio apostolica circa solemne votum paupertatis.

„*Voti solemnitas ex sola constitutione ecclesiae est inventa.*“

(C. *Quod votum* un. de voto in VI.)

De juridica votorum solemnitate commentarius.

ARGUMENTUM. I. Animadversiones praeviae: De votorum religiosorum distinctione in solemnia et simplicia ex recentiori jure inducta (1—3) deque lege antiqua circa elementa constitutiva status religiosi inde immutata (4—6). II. De juridica votorum solemnitate ex ipsis ejus principiis eruta: ex principio cognitionis (7—12), ex principio existentiae (13—14), ex principiis essentiae (15—19). De effectibus solemnitati ex ecclesiae constitutione adnexis (20—23), deque declaratione Leonina super solemni paupertatis voto (24). III. Epilogus. (25).

I. Animadversiones praeviae.

1. Distinctionem votorum religiosorum in simplicia et solemnia medium aevum prorsus ignoravit; ex disciplina tunc vigenti quippe ipsa votorum solemnitas ita erat ad statum religiosum proprie dictum requisita, ut fideles, perfectionis christianae cupidi, qualem demum cunque regulam cum votis simplicibus professi, ab eo deficere censerentur. Sic, v. g., ex professoribus tertii ordinis s. Francisci[1]), strenuis vitae religiosorum per omnia aemulis atque imitatoribus, ii tantum attigisse statum vere proprieque dictum religiosum leguntur, qui exemplum s. Elisabethae Thuringiae secuti vota solemnia emiserunt.

2. Quae, glossa teste[2]), antiqua est *doctorum altercatio* de discrimine inter vota solemnia et vota simplicia, ea non spectat aliquam distinctionem ipsorum votorum religiosorum, sed tota refertur ad quaestionem, in quonam

[1]) De iis cfr. gl. ad c. *Quum ex eo* 3. de sent. excom. Clem. (V., 10.)
[2]) Ad c. *Quod votum.* un. de voto in 6. (III., 15).

vota simplicia, quae religiosa non sunt, differant a votis solemnibus sive in profitenda religione sive in suscipiendo subdiaconatu nuncupatis; quum enim nulla essent vota religiosa simplicia, in quorum discrimen a solemnibus inquireretur, non erat cur juris interpretes de ejusmodi ignota distinctione disputarent.

3. Notae, quibus vota simplicia et solemnia internosci debere tradunt ejus temporis doctores, nonnisi debita cum circumspectione transferri ad explicandam ipsam votorum religiosorum differentiam possunt; quum nimirum tunc nulla essent religionis vota, quae ex juris praescripto adjunctam non haberent solemnitatem, fieri facile potuit, ut termini *religiosum* et *solemne* pro synonymis acciperentur, atque ita ratio formalis *voῦ religiosi* cum ipsa solemnitate confunderetur. Ejusmodi cautiones praeter alios habet auctor glossae ad c. *Rursus* 6. X. qui clerici vel voventes (IV., 6), hos tradens solemnitatis characteres:

Ordo sacer, vestes, professio relligionis,
Quae sit facta palam, facient solemnia vota.

Votum solemne demonstrant quatuor ista:
Ordo sacer, scriptum, professio praestita sponte,
Et professorum vestis suscepta scienter.

Ex quibus notis plures quidem spectant ad constituendam rationem formalem seu ad principia essentiae voti religionis, ut religiosum est; verum legalem illam, quam ea tempestate jus eidem voto religioso semper voluit adnexam, solemnitatem, neque faciunt neque explicant. Sic professio v. g., seu actus ille, quo novitii se, tirocinio rite exacto, regulari instituto tradunt, et ab eo juxta proprias suas constitutiones ab ecclesia approbatas acceptantur, efficit quidem ut vota per eam occasionem emissa fiant religiosa, utque novitii exinde vere et proprie sint et illius instituti sodales et Deo peculiari quadam spirituali consecratione dicati[1]), sed religiosa haec vota per se nec facit

[1]) Sic, ut obvium exemplum ponamus, scholastici et coadjutores formati S. J. cum votis simplicibus tantum *fiunt vere religiosi, et ad servitium cultumque divinum perpetuo consecrantur.* Ita ex Gregorio PP. XIII. Illsung tract. 5., disp. 1. n. 95.

nec demonstrat esse solemnia; quum hodie, mutata jam disciplina, multi sint religiosi, qui tametsi vota simplicia tantum emiserunt, per factam professionem tamen sunt et ordini, propter acceptatam eorum traditionem, proprie incorporati et Deo simul spirituali quadam consecratione vere devoti, ut adeo infractio voti castitatis penes ipsos merito sacrilegium esse dicatur[1]).

Principia essentiae voti religiosi ergo cum solemnitate confundunt qui, doctores medii aevi non satis caute secuti, per emissam professionem regularem, seu per factam religiosi traditionem atque inde secutam consecrationem vota solemnia distingui a simplicibus debere tradunt. Quamdiu ista erant ex positiva ecclesiae lege inseparabiliter connexa, poterat professio, h. e., subjecti traditio ac spiritualis consecratio, merito haberi ceu certum atque indubitatum principium cognitionis solemnitatis votorum; verum ad principia essentiae solemnitatis proprie loquendo nunquam pertinuit, quum teste recentiore legislatione, professio religiosa cum sua subjecti traditione a votorum solemnitate separari separataque existere possit.

4. Quamvis status religiosus quoad substantiam ab ipso Christo Domino, homines ad tria consilia evangelica exhortante est institutus, atque inde juris divini non quidem praecipientis sed consulentis tantum esse probatur; penes ecclesiam tamen est jus atque officium, pro varia temporum ac locorum ratione ea singillatim determinandi, quae ad ipsum statum religiosum in concreto constituendum requiruntur: idque ea ferme ratione, qua unius ecclesiae est leges constituere, quae vim matrimonii christiani respiciunt.

Proprium hoc primigeniumque jus suum ecclesia etiam semper exercuit sive nova dirimentia statum religiosum impedimenta constituendo, sive constituta removendo. En tibi exempla pauca de multis.

Concilium oecumenicum Lateranense anni 1215 impedimentum induxit eremi seu *τῆς ἀναχωρήσεως*; dum enim

---

[1]) Cfr. Ballerini in not. ad *theolog. moral. P. Gury*, t. 1., pp. 259—261; et Lehmkuhl, *theolog. moral.* t. 1., p. 277.

statum religiosum amplexuros jussit communem certisque obstrictam regulis vitam in ordine ab Apostolica Sede approbato agere[1]), ab eo jam deficere declaravit eremitas, seu singulares illos homines, qui huc illuc in desertis locis dispersi, pietati considerationique dant operam[2]), quin ad certam determinatamque regularium familiam ut vera ejusdem membra pertineant. Quodsi vero sint, qui non statim suo arbitrio, sed factis prius in monasterio stipendiis atque ex praelati sui licentia in eremum secedant, ii excidere a statu religioso non sunt dicendi: ut adeo ejusdem ordinis alii in desertis vivere, alii in monasterio habitare possint[3]).

Concilium Tridentinum praeter alia statuit, ut ad professionem religiosam emittendam nemo aptus et idoneus esset ante 16. aetatis annum expletum et ante unum probationis annum rite exactum[4]).

Sixtus PP. V. a statu religioso omnes voluit exclusos, qui aut ingenti aere alieno essent gravati, aut ad publica ratiocinia obligati, aut de crimine in foro saeculari convicti[5]); Clemens PP. VIII. tamen Sixtinam constitutionem non ita multo post laxando antiquum jus restituit, quo

[1]) C. *Ne nimia* 9. X. de religiosis domibus (III., 36).

[2]) Sapienter monuit celsissimus princeps episcopus Brixinensis, Dr. Simon Aichner, auctorem Bouix in declaranda vi canonis Lateranensis veritatem excedere, dum vitam eremitarum jam simpliciter dicat prohibitam (de jure regularium, t. 1. p. 54); ex eo enim quod eremitae non amplius attingunt statum religiosum, inferri nequit. eorum vivendi rationem ab ecclesia fuisse prohibitam (Archiv für kath. Kirchenrecht, t. 2. p. 618). Quod idem illustrari et ex eo poterit, quod alii status quoque in ecclesia existant, qui quantumvis expresse declarentur statum religiosum non attingere atque inde approbatione pontificia carere, adeo tamen non reperiuntur prohibiti, ut immo gratiis legibusque ecclesiasticis ornati conspiciantur (C. *Indemnitatibus* 43. de elect. in 6., § penult.).

[3]) In ecclesia orientali quoque, etiam post editam universalem hanc legem, tres monachorum classes sub uno eodemque abbate extitisse constat; ex iis alii vitae solitariae erant segregati (anachoretae), alii in coenobium cooptati (coenobitae), alii quasi mediam ineuntes viam μεσῶδες appellati; de quo triplici antiquorum monachorum genere pluries agit Card. Pitra, *Analect. sacr.*, t. 1., locis in *indiculo rerum* indicatis p. 692.

[4]) Sess. 25., c. 15., de regularibus.

[5]) Constitut. *Quum de omnibus*, ed. d. 26. Novemb. 1587.

tria ista impedimenta illicitam quidem, sed non irritam faciunt professionem regularem[1]).

Pius PP. IX., immortalis memoriae, vim professionis tacitae prorsus sustulit; solemnem vero in ordinibus virorum non ante exactum triennium votorum simplicium fieri permisit[2]).

Sic igitur supremus ecclesiae magistratus, vel ejus caput Romanus Pontifex, vel oecumenicum concilium, dirimentia status religiosi impedimenta constituit, et constituta tollit, quum id prudenti suo arbitrio justis de causis faciendum perspexerit.

5. Eadem potestate sua usa Sedes Apostolica recentiori aetate recedi a jure decretalium permisit, laxato vetere illo, quem medio aevo obtinuisse diximus, canone de votorum solemnitate ad statum religiosum requisita. Tria disciplinae ea in parte immutatae exempla adscripsisse suffecerit.

Gregorius PP. XIII. solemni sua *declaratione et confirmatione* edixit, *omnes et quoscunque, qui in societatem Jesu admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia, tametsi simplicia, emiserint aut emittent in futurum vere et proprie religiosos fuisse et esse et fore, et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere, non secus ac ipsos tum societatis, tum quorumvis aliorum regularium ordinum professos*[3]). — Ex quo textu praeter alia et illud colliges, societatis Jesu sodales in votis simplicibus constitutos non tantum lato aliquo sensu dici religiosos, quod nimirum „consequenter et *cum* solemniter professis tanquam religiosi suscipiantur“[4]); neque religiosos esse ex privilegio, quod ipsis Gregoriana hac constitutione fingatur esse concessum[5]); qui enim *vere et proprie religiosi fuerunt et sunt sicut quorumvis regularium ordinum professi,* ii profecto non ex concomitantia quadam cum solemniter professis habent,

[1]) Constitut. *In suprema,* ed. d. 2. Jun. 1602.
[2]) Cfr. Lit. encycl. S. Congreg. super statu regular. d. d 19. Martii 1857 (Archiv für Kirchenrecht, t. 9., pp 437—438).
[3]) Constitut. *Ascendente Domino,* ed. d. 25. Maji 1584. Cfr. Benedict. PP. XIV., de synod. dioec l. 13., c. 11., n. 29.
[4]) Ita ferme Lehmkuhl, *theol. mor.,* t. 1., p 303, edit. 3.
[5]) Haec post alios repetit Dr. Schels, *die neuen religiösen Frauengenossenschaften,* p. 18.

ut sint dicanturque religiosi; neque illud nunc primum ex privilegio sunt a Gregorio PP. XIII. consecuti, prout vel exinde patet, quod privilegii vis ad praeterita, h. e., ad eos, qui vota simplicia inde a societatis exordio emiserant atque hic vere et proprie religiosi fuisse dicuntur, non retrahatur. — Correctum ergo saeculo 16. antiquum jus erat, quo sine votorum solemnitate nemo poterat esse vere proprieque dictus religiosus.

Alterum immutati juris argumentum in multis recentioribus congregationibus cum votis simplicibus habemus, quae omnes, ubi caetera ad statum religiosum praescripta adsunt, propter solum defectum solemnitatis votorum statu religioso non leguntur exclusae. Sic, ut unam ex praecipuis nominemus, cujus leges etiam ad alias inveniuntur extensae[1]), congregatio clericorum excalceatorum s. crucis et passionis D. N. J. Ch., vulgo Passionistarum nuncupata, a Clemente PP. XIV.[2]) vocatur *religiosorum coetus,* et novitii *religiosa professione coram superiore rite emissa peractoque sui sacrificio* dicuntur *ordinem ingredi,* indeque *vota perpetua, licet simplicia, professi*[3]) status religiosi expertes esse non possunt, licet ejusmodi congregationes in Curia Romana et ad mentem tituli 31. l. 3. X. institutis *vere regularibus* seu religionibus formalibus non accenseantur.[4])

Tertiam sublati solemnitatis impedimenti probationem eruimus ex decretis Pii PP. IX. de conditione eorum, qui in ordinibus virorum ad mentem Pontificis rite professi adhuc in triennio votorum simplicium versantur; ejusmodi

[1]) De extensione privilegii exemptionis congregationis Passionistarum ad congr. SS. Redemptoris cfr. Acta S. Sedis t. 1, pp. 91—99.

[2]) Constitut. *Salvatoris Domini,* ed. d. 15. Nov. 1769. (Bullar. Rom. cont. t. 4., pp 98—119.)

[3]) Vel ex uno hoc exemplo patet, minus recte fuisse a D. B. Schels traditum, vocabulum *professionis* solum adhiberi „ad designandum actum emissionis votorum solemnium" op. cit., pp. 3—4).

[4]) Cfr. decret. s. Congr. ep. et reg. d. d. 16. Sept. 1864, quo ad dubium circa congregat. SS. Redemptoris propositum: „*An, et quomodo conveniat declarare, quod fruatur nomine* (qualifica) *regularis; et an saltem in casu ejusmodi nomen gratiae titulo ei sit concedendum?*" rescriptum legitur: ad primam partem, non esse *vere regularem;* ad secundam partem, *non expedire.* Quod decretum ex Bizzarri. *Collect.,* transiit in Acta S. Sedis, append. 21., t. 1., pp. 785—786. Integrum exhibebitur infra pp. 126—129.

professi quippe adeo vere et proprie sunt membra ordinis sui atque inde religiosi, ut *et suffragium habeant in actis capitularibus, quatenus et prout habent solemniter professi, et a die emissionis votorum simplicium anni professionis computentur, qui in dicto ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad officia admitti possit*[1]).

Antiquae legi igitur vere dici potest esse correctio adhibita; nec quisquam hodie propter solemnitatis defectum expers est religiosae vitae, dummodo in nullo eorum defecerit, quae jam ex jure vigenti ad statum religiosum praescripta inveniuntur.

6. Ad statum religiosum ex disciplina nunc vigente quatuor requiruntur, primum atque alterum ex jure naturali, tertium et quartum ex positiva lege ecclesiae.

Ex jure naturae, seu per se, duo sunt, Suarezio auctore, ad statum religiosum necessaria et sufficiunt: sufficiens ablatio impedimentorum perfectionis acquirendae cum mediis sufficientibus ad illam obtinendam, et sufficiens stabilitas[2]).

Ex parte juris ecclesiastici autem requiritur vita coenobitica rite suscepta, et quidem (quae postrema est conditio) in instituto regulari ab ecclesia approbato.

Impedimenta perfectionis efficaciter tollit observatio trium consiliorum, stabilitatem firmiter tribuit obligatio voti, regularem coenobitam facit legitima professio, institutum tandem provide approbat Romanus Pontifex. De singulis pauca haec ex jure sacro accipe.

a. De observatione trium consiliorum evangelicorum.

„Haec tria, quae sequuntur, sunt de substantia religionis[3]): vivere in obedientia, sine proprio et in castitate.“ Extrav. Joan. XXII. *Quia quorundam.* 5. de verb. signif. (XIV.) jcta. gl.

[1]) Decret. s. Congreg. super stat. regularium, ed. d. 17. Jul. 1858. (Archiv für kath. Kirchenrecht, t. 9., pp. 439—440.)

[2]) De religione, tractat. 7., l. 7., c. 14. (tom. 3.).

[3]) Sunt qui censeant, statum religiosum ab ipsa hac trium consiliorum observatione veluti a praecipuo suo essentiae principio apud graecos nomen *τριάδος μοναδικῆς* accepisse, quemadmodum refert Card. Pitra, *Analect. sacr.*, t. 1., p. 628.

„Nec aestimet abbas (cui omnes in omnibus reverenter obediant) quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis sicut et custodia castitatis adeo est adnexa regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere[1]).“ Innocentius PP. III. in c. *Quum ad monasterium* 6. X. de statu monach. (III., 35).

„Magna quidem paupertas, sed major integritas[2]), bonum est obedientia maximum, si custodiatur illaesa; nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo, quos velut effraenes et liberos ditioni alterius humilis jugo propriae voluntatis adstringit.“ Extrav. Joan. XXII. *Quorundam* 1. tit. cit.

„Perfectio vitae christianae principaliter et essentialiter in caritate consistit, quae ab Apostolo perfectionis vinculum dicitur, et quae unit seu jungit aliqualiter in via hominem suo fini: ad quam per contemptum bonorum temporalium et ipsorum expropriationem via disponitur[3]) per hoc praecipue, quod sollicitudo, quam temporalia in acquirendo, conservando et dispensando exigunt[4]), quae

---

[1]) Glossa textui subjecta, praeter alias, et duas has interpretationes exhibet: 1. quod Papa non potest dispensare, ut monachus habeat proprium, existendo monachus; sed de monacho potest facere non monachum; quoniam propter plenitudinem potestatis potest auferre substantiam rei. 2. Papa non potest, id est, non congruit, non consuevit, quum non subest causa; sed ex magna et necessaria causa hoc posset.

[2]) Quod in laudem custodiae castitatis ex jure civili glossa huic verbo adscribit: „integritas sola est possibilis animas Deo repraesentare“, id clarius in ipso fonte sic reperitur expressum: „quae etiam sola Deo cum fiducia potis est hominum animas praesentare: ἥτις καὶ μόνη θεῷ μετὰ παῤῥησίας δυναμὴ καθέστηκεν ἀνθρώπων παραστῆσαι ψυχάς.“ Auth. collat. 3, tit. 1., de lenon., Novell. 14.

[3]) Glossa lectorem delegat ad C. XIV. q. 1., ubi „iter perfectionis ingredientibus“ dicitur „non licere habere sua, ne sub ullius rei temporalis potestate redigantur; quum enim, notante s. Gregorio M., mens concepta desideria (rerum temporalium) sequitur, servire rebus convincitur, quarum amore superatur.“

[4]) Exigi in his actibus sollicitudinem, curiositatem et diligentiam glossa ad h. v. inde colligit, quod „ea interveniente pretia rerum amplientur, et deficiente minuantur“.

plerumque ab actu caritatis retrahit, amputetur". Extrav. Joan. XXII. *Ad conditorem* 3. tit. cit.

Sed alibi jam idem hoc argumentum ex mente s. Thomae Aquinatis (2. 2. qq. 186—191) late sumus prosecuti, ac singulis perfectionis impedimentis ex ordine recensitis, rationibus ipsius Doctoris angelici ostendimus[1]), quomodo *universa caritati adversantia ita per consiliorum observantiam excludantur, ut religiosi mente et corpore pariter expediti, quae Dei sunt, liberis mentibus exequantur*[2]). Non est igitur, cur in necessitatem atque efficaciam observationis consiliorum illustrandam plura hic congeramus.

b. De obligatione perpetui voti, qua moralis illa ad rationem status requisita stabilitas in servandis tribus consiliis evangelicis inducatur.

Firmitatem atque immutabilitatem in observatione consiliorum, ecclesiae judicio, sola perpetui voti obligatione induci posse, ex iis patet, quae pluribus continenter capitibus leguntur decisa titulo *de conversione conjugatorum* (III., 32). Quaerentibus scilicet, quanam cautione habita, viro de legitimo uxoris consensu ad vitam regularem vel ad sacros ordines aspirante, stabilitati custodiae continentiae mulieris sufficienter censeri debeat esse consultum, Pontifices una sententia responderunt, ad perpetuam hujus consilii observationem debite firmandam nec ipsam vitam piam in aliqua regulari domo, a saecularium hominum conversatione remotam, sine emisso voto, sufficere[3]), quantumvis licet *uxor eousque integrae extitisset opinionis*[4]) *aut jam provectae esset aetatis*[5]); sed vero semper et ubique prorsus requiri, ut pars manens in saeculo, *sive juvenis sit*

[1]) De libertate clericorum relig. ingred., c. I. Cfr. infra pp 38—44.

[2]) Orat. Dominicae 19. post Pentecost.

[3]) „Quum votis viri annuente uxore, ipse in domo Cisterciensis ordinis religionis habitum assumpsisset, mulier in domo monialium nullo ibi habitu religionis assumpto, vel voto conversionis emisso permansit" C. *Accedens* 17. h. t. Ad quod c. glossa praeter alia animadvertit: „ipsa non mutavit saeculum, nec promisit continentiam: sine his non sufficit expressa licentia uxoris."

[4]) C. *Uxoratus* 8. h. t.

[5]) C. *Significavit* 18. h. t.

sive vetula, conceptum declaratumque castitatis perpetuae servandae propositum expresso voto confirmet, eoque nuncupato vel privatim coram episcopo vel etiam palam in ecclesia illius religionis quam vir ejus est amplexurus[1]); *pro juvene uxore* praeterea et altera hac conditione adjecta, *ut ipsa quoque,* castitatis voto jam oblato, *monasterium ingrediatur:* quae conditio interprete glossa[2]) quidem, ita esset accipienda, ut „mulier haec cogeretur intrare monasterium, non quod fieret monacha, nec viveret monachaliter, sed quod refraenaretur a vagationibus et custodiretur"; verum ex communi doctorum sententia praescriptus hic monasterii ingressus de emittenda professione religiosa est sumendus[3]). Neque illud grave uxori esse poterit; „quum enim teneatur ad continentiam per suam promissionem, tenetur etiam ad id, sine quo eam servare non potest[4])."

Quae ita in sacris canonibus expresse declarata reperitur voti necessitas ad stabilitatem in observatione consiliorum inducendam, ex ipsa rerum natura quoque evidenter requiritur, quum, notantibus scholae magistris, praeter promissionem ipsi Deo factam seu votum nulla assignari causa possit, ex qua obligatio in servandis consiliis permanendi oriatur. Cfr. quae post alios ea de re scripsit Bouix, *de jure regularium,* pars 1., sectio 1., cap. 10.

c. De professione ex jure positivo ad statum religiosum requisita.

Professio dicitur totalis sui traditio instituto religioso et per institutum ecclesiae legitime facta, ac vicissim ab instituto, nomine ecclesiae, ad mentem propriarum instituti cujusque constitutionum et secundum receptos ejusdem ritus acceptata.

Manifesta apparet professionis a voto distinctio.

Votum est promissio ipsi Deo immediate facta et a Deo per seipsum acceptata, obligatque voventem sine ullius hominis interventu ad praestanda ea quae promisit; quin

[1]) C. *Uxoratus* cit.
[2]) Gl. ad c. *Praeterea* l. h. t.
[3]) Cfr. *Reiffenstuel* in tit. de convers. conjugat. nn. 12 seqq.
[4]) Ita gl. ad c. *Significavit* cit. Cfr. Reiffenstuel l. c. n. 14.

tamen personam promittentem speciali ratione ad cultum divinum deputet aut sacram efficiat.

Professio contra est traditio sui immediate instituto regulari (sive late sive stricte sumpto) facta, et ab instituto, nomine ecclesiae, juxta proprias constitutiones, authentice approbatas, acceptata: ex qua traditione rite peracta speciale quoddam jus instituti regularis in professum oritur.

Luculentum hujus distinctionis exemplum in jure sacro relatum legimus c. *Dudum* 20. de conversione conjugatorum, ubi homo laicus exhibetur primum quidem emisisse votum castitatis, deinde vero religioni hospitalis de Ponte se devovendo professionem emisisse atque ita, juxta disciplinam tunc vigentem, votum suum solemnizasse.

Professionis seu traditionis rite celebratae hodieque duo prae caeteris sunt effectus juridici[1]): alter, ut professus jam sodalium instituti sui vere sit *frater*[2]), h. e., verus sodalis et ipse, omnium jurium atque officiorum juxta ordinis constitutiones particeps; alter, ut ipsa persona professi cultui divino evaserit non jam privata quadam devotione utcunque dicata, sed eidem existat, peculiari ecclesiae jure, in constitutionibus ordinis contento, proprie ac legitime consecrata, ut adeo voti castitatis infractio verum sacrilegium dicatur ac sit, quemadmodum paulo superius ex probatis auctoribus Ballerini et Lehmkuhl didicimus n. 3.

Ejusmodi professionem, qua quis in ordinem ceu verum ac proprie dictum ejusdem membrum recipiatur, ad statum religiosum esse necessariam, inde patet, quod sacri canones superius memorati n. 4, constituto eremi impedimento, dignitatem status religiosi de vita anachoretica detractam esse voluerint. Hinc et novo jure antiqua illa regula canonica valet, quod *monachum facit professio regularis*[3]): quatenus scilicet professionis vocabulum, sensu canonico

[1]) Antiquo jure inter praecipuos professionis effectus etiam solemnitas votorum recensebatur; quum nulla esset professio regularis, quae adnexa non haberet vota solemnia.

[2]) C. *Porrectum* 13. de regularibus (III., 31.).

[3]) C. *Porrectum* cit.

acceptum, ipsam illam sui donationem secundum proprias regularis instituti cujusque constitutiones acceptandam significat, non autem quatenus translate sumitur ad designandam eam, quae ex jure decretalium nunquam non conjuncta cum illa traditione erat, votorum solemnitatem: debere autem novo jure professionem canonico illo sensu intelligi, ex omnibus illis recentioribus decretis Sedis Apostolicae edocemur, quibus legitima probatur esse religiosorum distinctio in simpliciter et solemniter professos.

d. De approbatione ecclesiae ad statum religiosum ex jure positivo requisita.

„Sacris canonibus est interdictum[1]), ne aliquis novum ordinem aut religionem inveniat vel habitum novae religionis assumat; sed quicunque ad religionem venire voluerit, ingrediatur unam de religionibus (a Sede Apostolica) approbatis." Extrav. Joan. XXII. *Sancta Romana,* un. de religiosis domibus (tit. 7.).

Quamvis ob regulam canonicam: „ubi eadem extat ratio, ibi et eadem est juris dispositio[2])," impedimentum ex defectu approbationis pontificiae proveniens ad omnia cujusque generis instituta regularia extendatur[3]), quoad congregationes religiosas votorum simplicium tamen lex ista de necessitate *praeviae* licentiae Romani Pontificis in desuetudinem abiisse cernitur, quum Sedi Apostolicae jam in more sit positum, fidelibus pro obtinenda novi instituti approbatione supplicantibus respondere, procurandum primo esse, ut institutum de licentia episcopi erigatur, postea vero suum fore deliberandi locum, sitne suprema ecclesiae auctoritate approbandum necne. Sed ea de re videnda *Methodus, quae a s. Congregatione episcoporum et regularium servatur in approbandis novis institutis votorum simplicium ab archiepiscopo Philippen.* (card. Bizzarri), *secretario, exposita ad usum secretariae*[4]).

[1]) C. *Ne nimia* 9. X. de religiosis domibus (III., 36); c. *Religionum* unic. eod. tit. in 6. (III., 17).

[2]) C. *Inter corporalia* 2 de translatione episcopi (I., 7).

[3]) „Ne nimia religionum diversitas gravem in ecclesiam Dei confusionem inducat." C. *Ne nimia* cit.

[4]) Cfr. Moy, *Archiv für kath. Kirchenrecht,* t. 15, (1866, vol. 1.) pp. 412 seqq.

Et ista quidem sunt quatuor elementa, quae, ut dictum initio fuit, ex lege nunc vigente ad statum religiosum constituendum requiruntur ac sufficiunt. Ex iis ubi vel unum deest, status religiosi essentia non attingitur; ubi vero omnia conjunctim servantur, ibi status vere proprieque religiosus habetur, sive solemnia celebrentur vota, sive simplicia tantum; sive professio regularis in religione stricte dicta emittatur, sive in congregatione, quae solemnitate votorum ex instituto caret.

Ex iis quae disputata hucusque sunt, corollarii ritu colligitur, religiosos professos etiam in ecclesia occidentali inde a tempore immutatae legislationis canonicae in duplici differentia ita versari, ut alii sint dicanturque *professi votorum simplicium*[2]), alii vero *professi votorum solemnium:* ea ferme ratione, qua in Oriente longe ante jam invaluerat discrimen inter duas religiosorum professorum classes. Antiqua nempe apud Graecos est ista monachorum in duas species distinctio, in *καλογήρους τοῦ μικροῦ σχήματος* seu *μικροσχήμους (in monachos parvi habitus)* et in *καλογήρους τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος* seu *μεγαλοσχήμους (in monachos magni et angelici habitus)*; utrique sunt veri proprieque dicti religiosi; sunt enim uno eodemque modo *τοὺς ἀρχαρίους (novitios)* rite praetergressi, et facta legitima professione regulari votis religiosis perpetuo ligati[3]); ea tamen est *τῶν μεγαλοσχήμων* prae caeteris canonica praestantia, ut illi *ἀγγελικὴν πολιτείαν (angelicum vivendi modum)* amplexi *τοὺς μικροσχήμους* externo veluti solemnitatis votorum axiomate praecellere censeantur. Sed ea de re

[1]) Recole quae dicta superius sunt n. 5.

[2]) Utraque classis enim spondet *μὴ ἔκ τινος ἀνάγκης ἢ βίας (non ex necessitate quadam aut facta sibi vi)*, sed *ἑκουσίᾳ γνώμῃ καὶ ἐκ προθέσεως (spontanea animi sententia et ex proposito)* se *ἀδιαλείπτως (impraetermisse) μέχρι θανάτου, ἕως τῆς ἐσχάτης ἀναπνοῆς (usque ad mortem* et *extremum vitae halitum)* praeter alia servaturos *ἐγκράτειαν, παρθενείαν (continentiam, virginitatem), ὑπακοήν (obedientiam), πτωχείαν ἄνευ ἐπικτήσεως ἰδιαζούσας (paupertatem sine privata possessione).* — Desumpta haec sunt ex variis officiis liturgicis, quae ex codice *τῆς σχηματολογίας* in Euchologium transierunt, eodem illo, quem in Symbolis adduximus loco.

lector orientalis ecclesiae disciplinae cupidus plura inveniet in nostris Symbolis, pp. 550, jctis. fontibus ibidem indicatis.

II. De juridica votorum religiosorum solemnitate ex ipsis ejus principiis eruta.

7. Tria prae caeteris distinguuntur rerum principia: *essentiae, existentiae, cognitionis. Principia essentiae* rem ipsam, ut talis est, constituunt; quapropter et *principia constitutiva* dicuntur. *Principium existentiae* vis illa vocatur, per quam ens contingens ac mutabile existentiam suam habet; vulgari termino *causa efficiens* appellatur. *Principia cognitionis* sunt illae notae, ex quibus res ipsa cognoscitur ac dijudicatur; unde et *principia indicativa* et *media cognitionis* audiunt. Ista *rerum principia* igitur *prius inquiramus, ut rerum notitia pleñior possit haberi* (S. Ambros.).

De principiis cognitionis solemnitatis.

8. Antiquo jure, quo omnia vota religiosa debebant esse solemnia, multiplex erat regula qua deveniri in notitiam solemnitatis potuit; praeter enim quam quod in ipsa professione regulari rite celebrata certissimum habebatur medium vota solemnia cognoscendi, eandem solemnitatem etiam demonstrabat quidquid ex positiva ecclesiae lege reperiebatur cum professione instar praeviae conditionis aut subsecuti effectus arcte conjunctum. Unde auctores medii aevi sine ulla errandi formidine tradere poterant, vota ex eo cognosci ac dijudicari solemnia, quod vel in facienda professione emittantur, vel cum totali sui traditione celebrentur, vel voventem vere et proprie efficiant regularem, vel personam spirituali quadam consecratione divino cultui destinent ac sacram constituant. Erant enim omnia ista ex jure decretalium ita cum solemnitate votorum conjuncta, ut ubicunque reperirentur, ibidem vota solemnia adesse probarent. — Verum ex quo per novam legislationem etiam simplicia vota religiosa admittuntur, omnia illa antiqui juris principia solemnitatis indicativa

jam desierunt esse media, quibus vota solemnia a simplicibus discernantur, quum ea et votis religiosis simplicibus sint suo modo conjuncta.

9. Vanum prorsus et fallax ex utroque jure probatur esse cognitionis principium, quod solemnitatem per se certo demonstrent caeremoniae, benedictiones, consecrationes caeterique ritus in professione votorum adhibiti. Quemadmodum enim in veteri legislatione saepius legimus omnem professionis ritum ad amussim servatum, quin vota exinde evaserint solemnia[1]): ita et recentiori Sedis Apostolicae declaratione edocemur, irritam ac nullam esse votorum solemnium professionem, quae ante expletum triennium votorum simplicium fiat, etiamsi omnes ritus exacte adhibeantur, qui ad professionem votorum solemnium in tali ordine sunt praescripti[2]).

10. Nec minorem fallaciam habet quae a multis traditur regula, solemnia vota ex eo cognosci, quod adnexum habeant pactum synallagmaticum inter professum et ordinem in traditionis acceptatione initum, et ambas partes bilaterali vinculo eadem obligatione adstringens. Principii falsitatem ostendit conditio canonica solemniter professorum tum saecularizatorum tum eorum qui, religione canonice extincta, sunt superstites; qui enim perpetuo sunt a Summo Pontifice saecularizati, tribus solemnibus religionis votis manent ligati, quantumvis licet canonicum illud vinculum sociale, quo in professione cum monasterio vel religione fuerant conjuncti, solutum penitus ac sublatum sit: ut adeo post obtentam saecularizationem bona non jam monasterio seu religioni sed camerae apostolicae acquirant[3]).

De conditione religiosorum, qui proprio ordine canonice extincto sunt superstites, similiter est per suprema ecclesiae tribunalia authentice pronuntiatum, eos adeo non esse voto solemni paupertatis solutos, ut nec testamentum

[1]) Extrav. Joan. XXII. *Sancta Romana* un. de relig. dom. (tit. 7).

[2]) Constitut. Pii PP. IX. *Ad universalis* ed. d. 7. Febr. 1862 (Archiv für kath. Kirchenrecht, t. 8, pp. 144—146).

[3]) Saecularizato in ipso actu saecularizationis usus facti conceditur cum licentia disponendi de acquisitis, prout ejus status id exigit: dempta amen facultate testamentum condendi.

condere possint, nec, si ipsis „factio testamenti“ activa forte permissa fuerit, ideo et passiva concessa intelligatur. Cfr. Acta S. Sedis, vol. I., pp. 225—227.

11. Quod antiquitus certum erat medium cognitionis solemnitatis voti religiosi castitatis, ut nimirum sibi adnexam haberet efficaciam ac vim irritandi praecedens matrimonium non consummatum, et perpetuo dirimendi matrimonium sequens: id etiam recenti jure tanquam indubium solemnitatis argumentum permansit; etenim duplex iste effectus, ut nullibi legitur a solemni castitatis voto religioso sejunctus, ita nunquam reperitur simplici voto qua demum cunque ratione tributus[1]).

12. Rectum atque expeditum in novo jure statuitur generale votorum internoscendorum principium, quod ex Busenbaum tradidit sanctus ecclesiae doctor Alphonsus de Ligorio, nimirum ea omnia ac sola esse vota solemnia, „quae ut talia acceptantur ab ecclesia“[2]); eo quippe cunctorum votorum solemnitas certa ac facili ratione agnoscitur agnitaque ita clare et perspicue demonstratur, ut nulla ex quaestionibus ad caetera duo solemnitatis principia, existentiae et essentiae, spectantibus tangatur; atque inde confusio omnino evitatur, qua ex inconsiderata veteris juris ad novam disciplinam translatione in multis libris oriri videmus, ut ecce, quum asseritur, vota ex eo dijudicari solemnia, quod vel cum totali voventis traditione, vel cum spirituali personae consecratione vel cum immutabilis status susceptione emittantur.

[1]) Cfr. Lehmkuhl, *theol. mor.* t. 1., p. 319., edit. 1.

[2]) Propter exhibitam hanc brevem distinctionis regulam moralistae verbosam reprehensionem doctoris Schönen incurrunt in Actis Tubingensibus (Theolog. Quartalschrift, 1875, pp. 285–286); verum illos ea de causa dignos esse qui adeo graviter vituperentur, non censemus, quum ipsis eo loco propositum non sit, scholasticam rei definitionem dare, sed pro instituti sui ratione facile tantum medium seu principium assignare, quo lector, quantumvis hospes in jure sacro, votum solemne tuto distinguere a simplici possit. Eodem ferme cognitionis principio usus, olim s. Ignatius de Loyola vota solemnia a simplicibus distingui posse scripserat, *quod illa ut solemnia emittantur et admittantur; haec vero quod nec emittantur nec admittantur ut solemnia* (Const. V., cc. 3. et 4. declarat.) omissa scilicet quaestione de secretioribus solemnitatis rationibus, quae ad principium essentiae pertinent.

De principio existentiae solemnitatis.

13. Adaequatum principium existentiae solemnitatis votorum ita est ex sola ecclesiae constitutione repetendum, ut ea non ab alio aliquo actu sive religiosi vota profitentis sive ordinis professionem acceptantis oriri possit. „Quod votum, inquit Bonifacius PP. VIII., debeat dici solemne . . . nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione ecclesiae est inventa . . . declarandum duximus“ . . . C. *Quod votum* un. de voto in 6. (III. 15). — Ad quod caput gl. animadvertit: „solemnitas voti est inducta ex constitutione ecclesiae: et sic non est ipsum votum quod matrimonium dirimit (qui effectus est solemni voto adnexus), sed est ipsa constitutio ecclesiae.“

Confirmatur ut aliis capitibus in jure decretalium contentis, ita nominatim citata Extrav. Joan. XXII. *Sancta Romana* un. de religiosis domibus, ubi „nullius fuisse et esse decernitur firmitatis“, quidquid etiam circa professionem, „communiter vel divisim sub religionis, conventus, collegii seu congregationis nomine vel colore contra ecclesiae constitutionem attentatum extitit.“

Nec minori sanctione, sub nova legislatione, Pius PP. IX. „nullam omnino, irritam et nullius roboris fore decrevit professionem votorum solemnium, contra constitutionem de servando triennio votorum simplicium quovis modo, praetextu et colore factam, quamvis vel a superioribus, vel a novitiis vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti[1]).“

14. Quum ex sola ecclesiae constitutione, non autem ex intentione voventis proveniat, ut votum dicatur ac sit solemne, Coelestinus PP. III. recte declaravit[2]) „simplex votum (castitatis) apud Deum non minus obligare quam solemne“; similiter patet, nihil obstare, quominus idem votum, in ratione voti manens immutatum, per ecclesiae constitutionem, ex simplici fiat solemne et vicissim ex so-

[1]) Breve *Ad universalis* cit.

[2]) C. *Rursus* 6. qui clerici vel voventes (IV., 6).

lemni simplex, quin necessaria sit nova intentio voventis. Exemplum habemus in valore tacitae professionis illius religiosi, cujus professio nulla fuerat in ratione professionis solemnis, sed tantum valuerat ut votum simplex; qui enim per quinquennium tacuit, quum irritam emisisset expressam professionem, vel quia vi metuque coactus vel quia nondum justam aetatem attigerat, is antiquo juris praescripto, etiam sine nova voventis professione, tacitam professionem valide fecisse declaratus est, ea ferme ratione, qua matrimonium ex origine sua nullum aliquando ab ecclesia pronuntiatur in radice sanatum sine novo partium consensu.

Sed et effectus ipsi, qui sacris canonibus reperiuntur in praesenti ecclesiae disciplina votorum solemnitati jure communi adnexi, evidenter ostendunt ejus originem ex sola lege ecclesiastica esse repetendam; etenim duplex illa vis professum perpetuo incapacem reddendi sive ad matrimonium valide contrahendum sive ad dominium vere acquirendum ejusmodi est, ut a sola suprema potestate ecclesiae constitui potuerit, quemadmodum pluribus exequitur Suarez, *de religione,* tract. 7., l. 2., c. 9.

Votum solemne igitur ex una ecclesiae constitutione habet, ut dicatur ac sit solemne, quum nimirum supremus ecclesiae magistratus, voto principia essentiae solemnitatis tribuit.

De principiis essentiae solemnitatis.

15. Ut olim haud exigua *reperiebatur altercatio inter doctores, quod votum dicendum esset simplex et quodnam solemnizatum*[1]*:* ita et nostra hac tempestate magna est auctorum de principiis constitutivis solemnitatis controversia. Praecipua discrepantiae capita brevi in conspectu posita reperies apud Lehmkuhl in egregia *theologia morali,* vol. 1., pp. 298—302 (edit. 1.).

Ex variis sententiis ibidem relatis ea nobis prae caeteris arridet, de qua cum approbatione scribit Sanchez, *in praecepta decalogi,* l. 5., c. 1., n. 11: „Alii dicunt de

[1]) Cfr. gl. ad c. *Quod votum.* cit.

solemnitate voti eodem modo philosophandum esse ac de aliis contractibus ac testamentis, quae in jure solemnia dicuntur.“ — En tibi paucis nostrae assensionis rationes.

16. *De ratione solemnitatis juridicae contractuum aliorumque actuum.* Juridice *solemnis* ille actus dicitur, qui auctoritate publica efficaciter interveniente rite celebratur.

Auctoritas publica interventum suum variis verborum formulis, caeremoniis ac ritibus alligat, quibus rite atque ex praescripto legis debite adhibitis actus ex simplici fit solemnis[1]); non quod legitimae illae formulae ac caeremoniae in se spectatae actum jam constituant juridice solemnem, sed quod ipsa auctoritas publica, per hos ritus actui interveniendo, eidem solemnitatem juridicam tribuat. Ea de causa etiam minus proprie dicitur actus solemnitas in iis ritibus ac formulis consistere; non enim nudus formularum usus, sed publicae auctoritatis interventus, per formulas expressus, actum vere ac proprie reddit juridice solemnem.

Efficacia interventus auctoritatis publicae in eo est, ut respublica actum illum, cui celebrando auctoritatem suam positive impendit, in peculiarem custodiam ac praesidium assumat, ut quem violare nefas sit propter publicam, quam ex eodem interventu nactus est, fidem. Unde confundi efficax iste interventus non debet cum simplici magistratus permissu vel testimonio, ex quo resciamus, auctoritatem publicam actum ita poni sivisse, ut eidem celebrando tamen auctoritatem suam positive non impenderit.

Saepe etiam solemnitati varios effectus juridicos adnexos reperimus, qui non ex natura ipsius actus seu ex jure naturae profluunt, sed ex positiva lege actui sunt adjuncti.

17. Exempla ejusmodi solemnitatis juridicae actibus publica auctoritate interveniente tributae habentur, aliis omissis, in solemnibus sponsalibus, in solemni poenitentia, in solemni testamento, in solemni obedientiae et reverentiae sponsione episcopo in ordinatione facta.

[1]) Praescriptum formularum apparatum nostrates olim dicebant *gesetzmässige Zierheit*, Galli vocant *formalité voulue par la loi.*

Sponsalia solemnia a simplicibus seu privatis in eo differunt, quod iis contrahendis interveniat ecclesia, a nupturientibus scilicet servatis omnibus ritibus ibidem a legitimo magistratu ecclesiastico pro tali actu praescriptis, uti esse solent praesentia parochi ac testium, usus determinatae promissionis formulae certis verbis conceptae, juramentum, sacerdotalis benedictio, totius actus rite celebrati inscriptio in tabulas authenticas. Sponsalibus per ejusmodi ritus ecclesia solemnitatem tribuendo, contractui ipsi non quidem majores vires, sed novam exteriorem sanctionem impertit, illumque sic vestiendo, veluti in publicam tutelam collatum, undequaque inviolabilem declarat, ut adeo etiam in foro externo *apud fideles cujusdam sacrilegii instar sit, si ulla transgressione violetur*[1]).

Quae in jure sacro memoratur *poenitentia solemnis*, in eo a simplici sive privata sive publica distinguebatur, quod ea criminum reis per magistratum ecclesiasticum legitime imposita certis definitis spatiis per varias stationes perageretur, ac canonicam irregularitatem induceret[2]). Si qui vero sceleris puri, solius devotionis causa permittente ecclesia, eandem poenitentiam publice absolverent, iisdem operosis laboribus cum solemniter poenitentibus per omnia exerciti, ii nec *solemniter* poenitere nec canonicum irregularitatis impedimentum contrahere censebantur: adeo verum est, non ipsa rituum observatione solemnitatem juridicam actui conciliari, sed per eum, qui in servatis ritibus demonstratur, auctoritatis publicae interventum.

Testamentum, seu quodvis aliud instrumentum *solemnitatem* suam ex eo habet, quod, publica auctoritate directe interveniente, *manu publica*[3]) sit juxta praescriptas juris regulas confectum, atque inde ex ipsa sua origine in omnibus et singulis suis partibus, etiam accidentalibus, publicam ubique ac plenam fidem faciat, sine aliis adminiculis, etiamsi testes inscripti jam decesserint: ut adeo propter

[1]) Cfr. Benedict. PP. XIV. de synodo dioeces. l. 8., c. 12., n. 5.
[2]) C. *Ex poenitentibus* 55. dist. 50.; c. *Ut bigami* 1. X. de bigamis non ordinandis (I., 21) utrobique jcta gl.
[3]) C. *Scripta* 2. X. de fide instrumentorum (II., 22)

ipsam hanc instrumenti solemnitatem *pelli animalis mortui major fides haberi* dicatur *quam testi vivo*[1]).

Verum quidem est, auctoritatem publicam aliquo sensu etiam intervenire in celebrandis contractibus aliisque socialibus actibus privatis, quatenus scilicet ex una parte vi officii sui tuetur civium libertatem agendi quaecunque legibus non vetantur, et ex altera parte efficaciter defendere debet civium jura ex pactis etiam privatim initis acquisita; verum in ejusmodi generali protectione et assistentia non habetur directa illa interventus efficacia, qua instrumentum de actu rite celebrato ipsa publica manu est conscriptum ac per omnia solemnizatum.

Ex omnimoda totius instrumenti solemnitate inferunt doctores, quamcumque falsificationem seu textus mutationem, etiam alicujus partis ex se indifferentis vel solius formae, esse crimen violatae fidei publicae commissum; dum circa instrumentum privatum contra falsi crimen ad corruptionem partis essentialis restrictum volunt[2]).

De *solemni reverentiae promissione* episcopo in ordinatione facta dicetur infra pp. 75 seqq.

Sic igitur manifestum est, contractus aliosque actus publica auctoritate per legitimas verborum gestuumque formas rite adhibitas efficaciter interveniente solemnes fieri.

De solemnitate ipsorum votorum.

18. Quae si, Sanchezio auctore, *philosophando* ad vota religiosa transferantur, ea dici poterunt solemnia, quae

[1]) Cfr. Pirhing in tit. de fide instrum., § 1. jcto. Fagnani in c. *Sicut te*, 8. ne clerici vel monachi (III., 30).

[2]) Bei öffentlichen Urkunden, inquit Berner, legt das Gesetz schon der blossen Urkundenform, ohne Rücksicht auf den Inhalt, eine rechtliche Bedeutung bei, so dass es die Fälschung selbst dann straft, wenn die Urkunden für Rechte oder Rechtsverhältnisse ohne Beweiserheblichkeit sind. . . . Wenn der Staat eine Thatsache urkundlich gemacht hat, so beansprucht er schlechthin Achtung vor der Urkundenform, und behandelt ohne Weiteres die Verletzung dieser Form als strafbare Rechtsverletzung. Es handelt sich um ein Element der öffentlichen Ordnung. . . . Bei Privaturkunden ist dagegen die Beweiserheblichkeit für Rechte oder Rechtsverhältnisse wesentlich. . . . Die Verfälschung kann nicht die Form, sondern nur den Inhalt der Urkunde betreffen. . . . (*Lehrbuch des deutschen Strafrechtes*, edit. 12., pp. 570–571).

publica ecclesiae auctoritate per legitimorum rituum observationem efficaciter interveniente rite emittuntur.

Efficax interventus ecclesiasticus requiri dicitur, ne ecclesia solemnizantem suam auctoritatem votis ideo jam conciliasse censeatur, quod justis de causis permiserit vel etiam praescripserit, ut ea publice ac coram ecclesiasticis viris tamquam testibus emitterentur, quemadmodum et olim factum legimus c. *Uxoratus* cit.[1]) et etiam nunc in emittendis votis publicis, licet simplicibus, quadantenus fieri a coadjutoribus formatis societatis Jesu videmus.

Vota *rite emitti* dicimus, quum ad praescriptas normas juris tum communis, tum particularis et ordinis cujusque proprii nuncupantur[2]).

Et si praescriptae verborum gestuumque formae debite atque ex legislatoris mente usurpatae accipiantur ut certa signa publici interventus indicativa, quae demonstrent, ecclesiam ipsi actui ponendo auctoritatem suam efficaciter impendisse, tunc enimvero cum eodem Sanchezio breviter dicere possumus, ea vota esse solemnia, *quae cum caeremoniis et solemnitatibus ab ecclesia praescriptis emittuntur*[3]), immo et brevius cum Pereyra, qui solemnia esse tradit, *quibus additur solemnis aliqua formula, qualitas vel conditio (Elucid. sacrae theol. mor.,* n. 1354).

19. Qua in definitione quantum ab iis distemus, qui formalem solemnitatis rationem in exterioribus caeremoniis, benedictionibus aliisque ritibus materialiter sumptis collo-

[1]) Quaesitum de uxore erat, quae post regularem mariti professionem *in domo propria cum filiis et familia permanere volebat.* Ad omnem scandali suspicionisve occasionem tollendam Pontifex ibidem praescripsit, ut, *siquidem esset integrae opinionis, ita quod nulla suspicio habeatur, quod minus continenter debeat vivere, ipsa publice in conspectu ecclesiae continentiam profiteretur.*

[2]) In variis ordinibus varia sunt ex propriis constitutionibus servanda. Sic, ut unum tantum exemplum ponatur, in societate Jesu praeter alia et *„illud essentiale est, ut publice votum* legatur *coram iis de societate et externis, qui adfuerint.“*

[3]) Exinde lector facile colliget, assentiri nos doctori Schönen non posse, dum terminos *simplicis* et *solemnis* praesenti huic votorum distinctioni significandae adeo ineptos credit, ut explicandae rei per eos potius caliginem injici quam lumen affundi scribat in Actis Tubingensibus (Theolog. Quartalschrift, 1874, pp. 197—198).

cant, intelligens lector ipse perspiciet; totus caeremoniarum apparatus quippe, per se spectatus, si *praeter* mentem legislatoris adhibeatur, actui celebrando nullam auctoritatem publicam votisque emissis nullam solemnitatem conciliare dignoscitur[1]); si vero *contra* ecclesiae legem usurpetur, tantum abest ut aliquid operari in ordine ad solemnitatem efficiendam possit, ut potius in jure damnetur ut *humanae temeritatis audacia, error atque impietas*[2]).

Neque eundem lectorem fugiet discrimen inter hanc ecclesiae auctoritatem voto solemni emittendo impensam et inter ejusdem in celebranda professione simplici interventum; ibi enim ecclesia non tam ipsi emissioni votorum efficaciter intervenit, quam acceptationi professionis immediate per ordinem factae: actui, qui non est solemnis, eam vim atque authentiam tribuendo, ut professum in statu religioso ponat; sicque inter votum religiosum solemne et votum religiosum simplex ratione interventus ecclesiae eadem ferme est differentia, quae cernitur esse inter instrumentum solemne et inter scripturam quae origine sua erat privata, sed postea fuit per publicum magistratum authentizata, h. e., probandi vi donata.

20. *De effectibus solemnitatis votorum, ac primo quidem de perpetuitate immutabilitatem status inducente.* Quoniam omnes solemnitatis rationes ex positiva ecclesiae constitutione pendent, posset ecclesia et alium solemnitatis modum eumque diversum ab illo qui nunc obtinet, instituere, sanciendo v. g. ut votum sit solemne absque omnimoda perpetuitate et firmitate, quemadmodum alii contractus solemnes, praeter matrimonium, non obstante solemnitate, mutuo consensu dissolvuntur. Verum ex praesenti ecclesiae disciplina certum atque indubitatum est, eum nunc esse generalem solemnitatis votorum effectum juridicum, ut perpetuitas atque immutabilitas status inducatur, quae,

[1]) C. *Ex parte* 14. X. de conversione conjugatorum (III, 32), ubi mulier *velum assumpsisse* perhibetur *coram duobus abbatibus, benedictione solemni cum celebratione missae ac litania (sicut debuit) accedente*, quin tamen votum ea occasione emissum solemne fieret. — Sed cfr. etiam Constitut. Pii PP. IX. *Ad universalis* cit.

[2]) Extrav. Joann. XXII. *Sancta Romana* cit.

ut nullo pacto via ordinaria auferri potest, ita nec via extraordinaria tolli consueverit, quemadmodum nominatim ex juridica conditione eorum patet, qui post solemnia religionis vota emissa perpetuo sunt a Sede Apostolica saecularizati; ii enim regulari illo vinculo, quo per professionem fuerant cum ordine conjuncti, ita existunt soluti, ut tamen nihil sit de votorum solemnitate detractum, quemadmodum jam animadversum est superius n. 10.

De aliis effectibus solemnitati votorum adnexis.

Praeter generalem illum solemnitatis effectum, ecclesia singulis votis solemnibus proprios effectus voluit jure communi adnexos: qui, si non peculiari aliqua sanctione probentur pro particulari casu ad tempus suspensi, ipsa solemnitate votorum rite celebrata, sine alia declaratione votis ex positiva lege semper inveniuntur conjuncti.

21. *Voti castitatis solemnitati* ea est vis per ecclesiae constitutionem adnexa, ut praecedens matrimonium ratum, non consummatum solvatur[1]), et subsequens omnino dirimatur[2]).

Vim irritas faciendi nuptias contractas post votum, quod ecclesia modo superius declarato interveniente fuerat emissum, eidem voto saeculo quarto jam fuisse adnexam, multis probat Devoti, *Institut. can.*, l. 2., tit. 2., sect. 9., §. 129., addita etiam animadversione, huic veritati non obstare, quod ea tempestate vocabula *solemnis* et *simplicis* nondum fuerint in usu ad juridicam nostram votorum distinctionem designandam.

22. *Voti obedientiae solemnitati* ecclesia positiva sua lege multiplicem effectum alligavit, scilicet ut, quae ante professionem emissa sunt vota simplicia, extinguantur[3]): ~~ut quae post professionem fiunt promissiones sive Deo sive~~

[1]) C. *Verum* 2. X. de conversione conjugatorum (III., 32).

[2]) C. *Quod votum* cit. — Juridica haec voti solemnis religiosi efficacia in eo differt ab effectu solemnitatis voti in suscipiendo sacro ordine emissi, quod ea etiam solvat matrimonium antea initum, modo ratum sit, non consummatum; ordo sacer vero tantum irritum faciat matrimonium postea contrahendum.

[3]) C. *Scripturae* 2. X. de voto (III., 31). Est decisio intelligenda, inquit gl., quod hoc fiat sine auctoritate superioris.

~~hominibus, irritari a legitimo superiore possint~~[1]); ut tollatur potestas patria[2]).

Quo tempore effectus isti solemnitati voti obedientiae expresse adjungi coeperint, quaere apud canonistas in commentariis tum ad c. *Non dicatis* 11. C. XII., q. 1., tum ad cc. *Si religiosus* 27. de electione in 6., *Religiosus* 2. de testamentis in 6., *Religiosi* 5. de sepulturis in 6, in quibus religiosus dicitur non habere „velle vel nolle, quum ejus arbitrium non ex sua, sed ex illius quem vice Dei supra caput suum posuit, et cujus imperio se subjecit, voluntate dependeat."

23. *Voti paupertatis solemnitas* ex communi ecclesiae jure adnexam habet vim inducendi absolutam dominii incapacitatem; quae vis tamen non semper et ubique uno modo se exeruisse legitur. In casibus particularibus enim ecclesiam varium identidem effectum voto solemni paupertatis voluisse conjunctum, historia docet. Ejus rei tres argumentorum fontes breviter indicasse satis habemus.

In recentioribus commentariis in Acta Sanctorum Victor de Buck, socius Bollandianus, multis adductis exemplis ostendit Octobris tomo 12., neque monachos per omnes regulas evasisse dominii incapaces, neque ipsos professores regulae dominii incapacitatem inducentis re et facto semper extitisse proprii expertes. Sed apud ipsum auctorem vide, praeter alia, quae habentur ibidem p. 47. in Vita s. Bernardi Calvonii († 1243); p. 630 in Vita s. Dodonis († saec. 8); p. 733 in Vita b. Joannis Chisii († 1363); et consule etiam quem iisdem locis adductum reperis Carattin, *Vita claustralis*, p. 365. Et haec quidem ex iis ecclesiae saeculis, quae antiquo jure regebantur.

Alia argumenta ejusdem varietatis effectuum voto solemni paupertatis alligatorum ex tempestate nobis proximiore proponit Ballerini in notis ad *theolog. moral. P. Gury*, t. 2., pp. 94—95 (n. 153), desumpta ex historia societatis Jesu; ut ecce, quod s. Franciscus Borgia ex indulto Pauli PP. III. ita solemnia vota emisit, ut nihilominus solum intra quadriennium post factam professionem

[1]) Cfr. Bouix, *de jure regularium*, t. 1, p. 112.

[2]) In odiosis, non vero in favorabilibus, quemadmodum notant auctores apud Reiffenstuel, *Jus can.* l. 3., tit. 31., n. 191.

Gandiae ducatum ac reliqua temporalia bona a se abdicaret; item quod juxta constitutiones societatis Jesu a Sede Apostolica approbatas obtineri a Summo Pontifice facultas possit, etiam post emissam solemnem votorum professionem retinendi et acquirendi dominium. Doctrinam etiam idoneo argumento confirmat, quod quia ancipitem notam, tomo 1. pp. 260—261 (n. 286) ambigue scriptam[1]) retractando illustrat, hic exhibuisse, non fuerit inutile: *Solemnitas jure ecclesiastico inducta est. Porro si jure tantum ecclesiastico solemnitas voto superadditur, nonne manifestum est, ejusdem solemnitatis vim effectuumque mensuram ab ea potestate definiri, a qua solemnitas ipsa procedit, atque adeo a supremi in ecclesia legislatoris arbitrio pendere?*

Tertiam argumentorum classem denique suppeditant novissima acta Sedis Apostolicae, e quibus, ut necessariae brevitati serviatur, unum hoc rescriptum ex genuinis fontibus Romanis erutum sistimus, quod, licet initio datum pro solo Belgio fuisset, postea tamen etiam, petentibus summis praelatis, ad nonnullas alias regiones invenitur extensum[2]):

Declaratio Leonina circa votum paupertatis.

Die 31. Julii 1878.

Ex audientia Ssmi.

Emus. ac Rmus. Dominus Cardinalis Victor Augustus Isidorus archiepiscopus Mechliniensis una cum suis suffraganeis a Ssmo. Domino Nostro expostularunt, ut ad removenda quaecunque dubia explicare et declarare dignaretur, utrum Rescriptum de die 1. Decembris 1820, quo S. Poenitentiaria auctoritate apostolica concessit regularibus Belgii utriusque sexus etiam solemniter professis, ut bona

[1]) Dum Ballerini ibidem veram rationem declarat, cur infractio voti simplicis (nisi intervenisset specialis personae consecratio aut traditio) non sit sacrilegium, illam traditionem ex aliorum libris ita illustrat, ac si in ea, quum voto adjungitur, ipsa voti solemnitas consisteret: quam ob rem non injustum vituperationem subit apud Schönen in Actis Tubingensibus citatis (1875, pp. 289—291).

[2]) Facultatem hoc rescripto concessam Summus Pontifex an. 1879 cum pluribus regularibus Galliae communicari permisit.

acquirere, retinere et administrare, deque iis disponere possent non obstante solemni paupertatis voto[1]), etiam nunc in integro suo robore permaneat. — Ssmus. Dominus Noster Leo divina providentia Papa XIII., referente me infrascripto secretario s. Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae, audita prius nonnullorum Eminentissimorum Patrum sententia, respondendum esse mandavit *Affirmative,* ac praesentium tenore declarare dignatus est, quatenus opus sit, omnes singulosque Belgii regulares utriusque sexus, etiam qui vota solemnia nuncuparunt, praedictos omnes actus valide ac licite exercuisse et exercere, ac proinde potuisse et posse tuta conscientia etiam cum jurejurando asserere, se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere una cum jure de iis disponendi. — Super quibus Sanctitas Sua mandavit hoc edi decretum, et in acta superius memoratae Congregationis referri. Contrariis quibuscumque minime obfuturis. Datum Romae e secretaria ejusdem Congregationis die, mense, et anno praedictis.

Wladimirus Czacki
(L. S.) Secretarius.

Quamvis ergo communi ecclesiae jure solemnitati voti paupertatis vis sit adnexa religiosum dominii incapacem reddendi; res tamen est exploratae veritatis historicae, vim eandem variis temporibus, pro variis hominum locorumque adjunctis, adeo varie fuisse exsertam atque etiamnum sic volente supremo ecclesiae magistratu exeri, ut omnibus rite perpensis ac speciatim novissimis actis Sedis Apostolicae attente consideratis, a magno Suarezio (non utique sine reverentia tanto doctori debita) recedere et Ballerinii verbis concludere possimus: *Ex ipsa rei natura est, quod religiosus solemniter professus dominii incapax aut capax existat pro supremae auctoritatis arbi-*

[1]) Facultas haec primum, h. e., die 20. Novembris 1820 concessa erat monialibus solemniter in Belgio professis (cfr. Bouix, *de jure regularium*, t. 1., p. 419), sed mox, interjectis scilicet undecim diebus extensa est ad omnes utriusque sexus regulares Belgii, etiam solemniter professos, uti videre est apud Emum. Bizzarri, *Collectanea*, pp. 791 seqq.

tratu, ad cujus sapientiam omnia pro temporum, locorum personarumque adjunctis disponere spectat. — Ejusmodi quippe juridicae solemnitatis naturam esse docuimus, ut non hos potius quam alios effectus sibi ex positiva lege adnecti patiatur.

Quandonam ista lex irritans solemni paupertatis voto incapacitatem dominii superaddens, ad omnes religiosos fuerit extensa, certo determinari non potest. Primis ecclesiae saeculis monachi dominii non erant incapaces, quemadmodum constat ex vitis ss. Antonii, Hilarionis aliorumque multorum in actis ss. occurrentium. Quin et in codice Theodosiano aperte dicuntur posse habere dominium, adire haereditates, testamenta condere. Justinianus eos primus videtur dominii incapaces declarasse in Novellis 5 et 123[1]). — Interea s. Benedictus regulae cap. 33. expresse prohibuit, quominus monachi dominium possiderent; et ecclesia ipsa legem Justiniani, ubi vigebat, approbavit. Sed ubi lex Theodosii adhuc erat usu recepta, monachi, qui aliam ac s. Benedicti regulam sectabantur, dominii non erant expertes, cujusmodi leguntur fuisse utriusque sexus religiosi s. Columbani. Sic igitur per ordinis s. Benedicti propagationem et per legis Justiniani extensionem lex irritans paulatim universalis evasit.

24. *De rationibus declarationis Leoninae* primum pro Belgio datae, postmodum vero ad plures Galliarum religiosos extensae. — Exhibita Sanctae Sedis *declaratio*, quae a SS. D. N. Leone PP. XIII. appellatur, juridice spectata, ejusdem valoris esse videtur ac declaratio Benedicti PP. XIV. circa matrimonia clandestina contra legem irritantem concilii Tridentini in statibus foederatis Belgii inita.

[1]) Novella 5 (col. 1., tit 5), ad Epiphanium, regiae urbis antistitem, data anno 535 integra est de jure regularium. Ex ea praeter alia huc faciunt verba capitis 5.: *Ingredientem monasterium* (si antea aliter non disposuerit) *simul sequuntur omnino res, licet non expressim, qui introduxerit eas, dixerit; et non erit dominus earum ulterius ullo modo* (*οὐκ ἔσται κύριος αὐτῶν οὐκ ἔτι κατὰ οὐδένα τρόπον*). — Ex Novella 123. (col. 9., tit. 6), ad Petrum, praefectum praetorii et sacrorum officiorum magistrum, missa anno 541, duodecim ultima capita (33—44) similiter ad disciplinam regularem pertinent.

Neque novum jus constituit neque in jure antiquo dispensat, sed mera *declaratio* est, qua authentice edocemur, in Belgio et in Galliis locum esse epikejae in hac lege irritante[1]) propter peculiaria rerum ac temporum adjuncta, in quibus legis alias certo vigentis executio non solum ab aequitate recederet, sed et plane nociva evaderet. Sunt qui rem, praeeunte laudato socio Bollandiano, sic ferme explicent occasione alicujus casus, qui ad tribunalia civilia Belgii fuit delatus, et est ejusmodi:

Quaeritur, cujus sit legatum factum in favorem cujusdam religiosi solemniter professi?

a. Lex generalis est: *Quod acquirit monachus, acquirit monasterium vel monasterio.*

Attamen probe distinguendum est inter loca, ubi haec lex servari potest et loca ubi non potest servari. In locis enim ubi servari potest, omnino obligat omnes religiosos solemniter professos, unde legatum iis factum non pertinet ad ipsos, sed ad monasterium; contra in iis locis in quibus lex servari non potest, quin patiantur magna damna vel exponantur ruinae domus religiosae, ut in Belgio, Hollandia et Gallia, haec lex, inquam, ex praesumpta voluntate legislatoris obligandi vim non exserit, uti sequentibus argumentis constat.

b. Lex etiam irritans suspenditur, quando fit *impossibilis vel nociva*: nam de legis essentia est, ut sit in utilitatem, non in ruinam subjecti, ac proin legislator de jure naturae non potest imperare impossibilia vel nociva. Hinc regula juris: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum:* c. *Quod non est* 4. X. de regulis juris (V., 41), cui consonat axioma: *Magna difficultas necessitati seu impossibilitati aequiparatur.*

[1]) Epikejan (ἐπιείκειαν) in omni lege humana, etiam irritante, locum habere, ex principiis rationis atque ex gravissimis auctoritatibus, maxime s. Thomae Aq., probatum vide in Actis S. Sedis, addit. ad appendic. 9, pp. 37 seqq. (fasc. d. 21. Febr. 1880). — Est autem epikeja interpretatio mentis legislatoris, per quam judicamus, legem generaliter latam in casu aliquo particulari, ubi iniquum, vel nocivum, vel nimis grave esset, eandem servare, ex praesumpta voluntate legislatoris non obligare. Cfr. Archiv für kath. Kirchenrecht, t. 5., p. 375.

Haec principia applicuit ipsa Congregatio Concilii legi irritanti de clandestinitate hunc in modum. In Zelandia, saeculo 17. ineunte, et in Gallia saeculo 18. exeunte, quamvis ibi lex Tridentina de clandestinitate esset promulgata, multi tamen inierunt matrimonia absente parocho, quia aditus ad eum aut valde difficilis aut impossibilis erat. Verum quum de validitate horum matrimoniorum postea dubitaretur, res Romam delata fuit. Ibi judicatum legimus, legem clandestinitatis in hujusmodi circumstantiis non obligasse, unde omnia matrimonia valida erant, etiam ante edita responsa, quae ob iniqua tempora clandestine inita fuerant.[1])

Hinc manifestum est legislatorem nolle, ut lex irritans obligationem suam exserat, quando pro tota communitate, vel pro magna ejus parte facta est vel nociva vel impossibilis.

c. Verum quum lex canonica qua religiosi solemniter professi constituuntur incapaces dominii, non amplius vergat in ordinum religiosorum utilitatem in Belgio, Hollandia et Gallia, sed potius eis evidenter facta sit nociva et impossibilis, fluit, legislatoris mentem esse, ut in dictis regionibus non obliget. Sunt enim duo adjuncta quibus transmittitur vel augetur dominium domorum religiosarum: 1°. quando religiosus professus instituitur legatarius; 2°. quando religiosus professus in societate anonyma vel non anonyma transmittit aliis religiosis professis per testamentum vel vi contractus partem monasterii quam civiliter obtinebat.

Jam vero, per leges Belgicas, Hollandicas et Gallicas legatum et testamentum, admissa religiosorum incapacitate dominii, sunt omnino irrita. Ratio est quod legatarius aut haeres per testamentum, non est nisi vir interpositus pro coetu religioso ac proin pro societate per legem civilem incapaci haereditatis. Hinc factum est, ut curia suprema (cour de cassation) in causa Averbodiensi statuerit, quod si potest ostendi, legatarium Roelaudtium, professum abbatiae Averbodiensis, non esse nisi virum interpositum pro societate religiosa Averbodiensi, incapaci dominii,

[1]) Collectio Brevium, tom. 1. pag. 300; tom. 2. pp. 139 et 206.

judicandum, esse Roelaudtium non posse adire legatum, quod ei reliquit canonicus Averbodiensis, ibidem solemniter professus, Carleer.

Neque relinquitur effugium casu quo a legatario peteretur jusjurandum, num sit vir interpositus. Etenim non potest recurrere ad distinctionem: sum ego verus proprietarius coram lege civili, non vero coram Deo, quum Pius PP. VI., in brevi de die 30. Januarii 1799 ad episcopum Nazianzenum Boni, ponat principium ineluctabile: *Verba juramenti intelligenda esse ad mentem legislatoris, quia solus legislator est interpres legis quam tulit.*

Quamvis concludi ex dictis posse videtur, etiam in aliis regionibus, ubi eadem, quae nunc in Belgio et Galliis sunt, rerum adjuncta existunt, religiosos solemniter professos irritanti huic legi non esse obnoxios, pro praxi tamen animadvertendum est, ad ipsam Sedem Apostolicam spectare, authentice declarare, utrum etiam ibidem locus sit epikejae necne: quemadmodum et Benedictinae declarationis extensionem ad alias regiones a sola ecclesia fieri videmus.

III. Epilogus.

25. Brevem disputationis nostrae summam ad extremum facturi, totam ejus seriem uno veluti fasce complecti sic possumus:

I. Animadversiones praeviae. Medio aevo non erant vota religiosa simplicia (1). — Hinc omnis quaestio de distinctione votorum in solemnia et simplicia tunc agitata non ad duas classes votorum religiosorum spectabat (2). — Unde doctrina, quam illius temporis scriptores de votis in solemnia et simplicia distinguendis tradidisse leguntur, non sine cautela transferri potest ad explicandum illud, quod novo jure inductum est, discrimen inter vota religiosa solemnia et simplicia (3). — Ecclesiae jus competit, impedimenta statum religiosum dirimentia constituendi ac constituta removendi (4). — Eo jure usa, recentiori aetate, ecclesia voluit, ut — antiqua lege de necessitate solemnitatis votorum abolita — ad statum religiosum jam sufficerent vota simplicia, dummodo caetera requisita adessent (5). — Quae requisita quatuor omnino sunt: *a.* Duo ex jure naturali, scilicet sufficiens ablatio impedimentorum perfec-

tionis acquirendae, quae obtinetur *per observationem consiliorum evangelicorum paupertatis, castitatis et obedientiae;* et sufficiens stabilitas in his consiliis servandis, quae *obligatione perpetui voti* inducitur; *b.* Duo item ex jure positivo. nimirum professio stricte sumpta, qua religiosus facta sui traditione *vitam coenobiticam* amplectitur; et *approbatio ecclesiae,* quae ex jure decretalium Summo Pontifici reservatur. — *Corollarium.* Impedimento status religiosi, quod olim ex defectu votorum solemnium oriebatur, per recentiorem legem sublato, etiam in ecclesia latina jam sunt duae professorum religiosorum classes, altera cum votis solemnibus, altera cum votis simplicibus tantum: qua in nova disciplina stabilienda occidentalis ecclesia propius ad orientalem accessit. — II. De juridica votorum religiosorum solemnitate ex ipsis ejus principiis eruta. Distinctione facta inter varia solemnitatis principia (7), ostenditur, olim quidem multiplex fuisse ejusdem *principium cognitionis* (8—11); nunc vero unum tantum, quod generale sit, statui posse, illud nempe, quod s. Alphonsus de Ligorio ex Hermanno Busenbaum desumptum tradit (12). — *Principium existentiae* solemnitatis pariter unum tantum esse deprehenditur (13—14). — *Principium essentiae* tandem commune habet votorum solemnitas cum aliis actibus, qui in jure dicuntur *solemnes* (15—17), quod breviter illustratur exemplis *solemnium sponsalium, solemnis poenitentiae, solemnis testamenti* (17). — Essentia solemnitatis non est confundenda cum variis effectibus juridicis eidem ex positiva ecclesiae constitutione adnexis (18—19), qui cujusmodi ex lege communi nunc vigenti sint (praeter omnimodam status perpetuitatem in praesenti disciplina per solemnitatem votorum inductam), circa tria vota religiosa singillatim determinatur. — Principium essentiae seu ipsa ratio formalis solemnitatis semper et ubique eadem est, effectus autem, qui a positiva ecclesiae voluntate pendent. pro variis temporum, personarum, locorum adjunctis varii esse possunt, testeque historia varii hucusque fuere (20—23). De rationibus declarationis super solemni paupertatis voto datae a SS. D. N. Leone PP. XIII., quem D. O. M. diu nobis salvum conservet atque incolumem! (24).

II.

DE LIBERTATE CLERICORUM

RELIGIONEM INGREDIENDI.

Accedunt quaestiones duae:

I. De sumptibus in educationem clericorum factis, utrum sint dioecesi restituendi? — II. De servitiis per aliquod temporis spatium dioecesi praestandis, an religionem ingressuri ad ea obligari possint?

„*Ubi spiritus Dei, ibi libertas.*“

(C. *Duae sunt.* 2, C. XIX, q. 2.)

De libertate clericorum religionem ingrediendi commentarius.

ARGUMENTUM. Occasio scribendi et introductio. Cap. 1. De natura status religiosi (1—13). Cap. 2. De ss. canonibus circa liberum clericorum ingressum in religionem (14—36). Cap. 3. De impensis educationis seminario restituendis (37—42), deque onere propriae dioecesi serviendi (43—44). Epilogus (45). Appendix.

Occasio scribendi.

In causa *restitutionis impensarum seminario faciendae* consilium juridicum nuper requisiti, omnibus utriusque partis rationibus secundum jura exacte perpensis iisque inter se rite comparatis, responsum dedimus, in proposita facti specie — in suis circumstantiis individuantibus, ut ajunt, accepta — clerico religionem ingressuro imponendam non esse necessitatem sumptus, tempore studiorum seminario factos, restituendi. Contra quod consilium in cancellaria episcopali advocatus seminarii continuo excepit, decisionem non satis fulciri legibus ac rationum momentis, illudque proinde attendendum non esse vicario generali. Ast quamvis persuasum nobis esset, in formandis consiliis juridicis praestare paucas easque certas leges allegare, quam multas dubias et ad rem non pertinentes, — si enim vel unam legem pro te habes, rite explicatam, non revocatam, non abrogatam, quae rem clare decidat, sufficiet ad decisionem causae et plus probat, quam centum aliae dubiae et non rite expositae[1]); —

[1]) Conf. Seybold Jos. S. J., *De modo formandi consilia juridica*, § 21.

placuit tamen pro defensione consilii dati singulos juris textus iterum in fonte inspicere et examinare, auctores probatos etiam in has leges scribentes adhibere, atque ita generalem hanc disquisitionem scholastica methodo, etiam pro usibus academicis, conscribere, ut, deposita singularis facti specie, efficaciora solidioraque fundamenta *libertatis clericorum religionem capessendi* apertius explicata planius intelligerentur.

Introductio.

Canonicas sanctiones de *libero clericorum ingressu in religionem* ex jure transcripturi atque exposituri generatim ante moneamus oportet, ecclesiasticos legislatores unanimes esse et concordes non solum in asserenda hac libertate, seu in ipsa *lege statuenda*, sed vero etiam in *afferenda causa*, qua eadem haec libertas ab indiscreta molestia eorum vindicetur, qui fideles a religione suscipienda utcumque vellent avertere. Perspicuum id est ecclesiasticas auctoritates vel obiter tantum percurrenti.

Rationem vero, qua ad hanc libertatem asserendam ac tuendam moventur, Patres perpetuo ex ipsa essentia ac natura status religiosi atque ex obvio ejus cum bonis spiritualibus ac aeternis nexu derivant; una mente enim, licet sub diversis vocabulorum formulis, canonem suum de libero ingressu in religionem illa, quae hominibus semper incumbit, absoluta necessitate *„Spiritui Dei obtemperandi salutisque propriae consequendae,“* veluti firmissimo argumento stabiliunt ac fulciunt. Ipsis quippe *„religionem profiteri“* idem valet quod *„meliorem vitam sequi,“* vel etiam *„Spiritu Dei agi ejusque lege duci;“* immo *„religiosum esse“* et *„simpliciter salvare se,“* in multis eorum locis ejusdem plane significationis sunt, prout ex testimoniis inferius citandis patebit.

Ideo scilicet aditum ad religiosa castra fidelibus semper patere volunt liberumque relinqui, quod quae religiosi universim omnes per suam professionem consequuntur bona sint multo praestantissima, et quod nunquam desint, qui quum difficiliori et periculosiori via communi mandatorum — in saeculo viventes — animam suam vix aut

omnino non salvassent, in religione contra aeternam beatitatem securius multoque facilius amplissime consequuntur.

Quam firmam communemque universorum Patrum consensionem in ea quam commemoravimus lege de libertate ingrediendi ordinem religiosum tum ferenda tum etiam validissima ratione, ut diximus, confirmanda ut justo pretio ac numero putemus, utque rationis illius, qua canonem suum munire student, plenam intelligentiam habeamus, genuina de natura status religiosi doctrina catholicae ecclesiae innuenda breviter est; ita enim fiet, ut pontifices per canonica sua statuta libertatem religiosae professionis tuentes non secus locuti fuisse probentur, ac ipsa fert religionis natura.

Quod ut recte praestemus ac tute, doctorem adhibebimus omni exceptione majorem, ipsum videlicet sanctum *Thomam Aquinatem*, catholicae doctrinae eumdem et testem integerrimum et vindicem praestantissimum. Ex ipsa autem declarata status religiosi natura atque ex ejus cum aeternis ac spiritualibus bonis connexione inferemus continuo cum angelico doctore, statum religiosum vitae saeculari immensum antecellere, eidemque a Patribus haud immerito ita primas fuisse delatas, ut ecclesia liberum ejus aditum fidelibus solemniter non asserere non potuerit.

Duabus partibus ergo commentarius hic noster constabit: prior ipsam naturam ac praestantiam status religiosi ex doctrina doctoris angelici exponet; altera vero canonicas sanctiones de libertate clericorum religiosam vitam amplectendi declarabit. Quum autem rari quidam recentiores magistri clericorum libertati peculiares difficultates moveant ex obligatione sumptus educationis restituendi aut per determinatum quoddam temporis spatium propriae dioecesi serviendi, secundam commentarii partem in duas sectiones ita dividemus, ut totus commentarius tribus omnino capitibus absolvatur, materia nimirum hoc ordine proposita:

Cap. I. De natura et praestantia vitae religiosae; Cap. II. De canonicis sanctionibus circa liberum clericorum ingressum in religionem; et Cap. III. De obligatione impensas seminario restituendi vel propriae dioecesi serviendi.

Caput I.

De natura ac praestantia vitae religiosae.

I. Doctrinam sancti Thomae nullibi clarius expositam invenimus, quam sex ultimis quaestionibus (186—191) part. 2—2. *Summae theologicae.* Ex iis ergo ejusdem de natura et praestantia status religiosi sententiam eruemus.

Postquam doctor angelicus statum religiosum definivit *„exercitium quoddam spirituale, quo aliquis exercetur ad consequendam caritatis perfectionem*[1]*),“* quae in unione cum Deo consistit, *quia qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* (I. Jo. 4, 16)[2]), articulo 3. quaestionis 184. consilia probat *instrumenta quaedam* esse, quibus ad hanc perfectionem caritatis perveniatur idque ostendit tum ex sententia sanctorum[3]), tum ex ipsius Christi Domini verbis: *Si vis perfectus esse, vade, vende,* etc.; *quasi dicat* — verba sunt angelici doctoris, — *hoc faciendo ad hunc finem pervenies, quia ad perfectionem caritatis istis gradibus ascenditur.*

Tum ad declarandam naturam status religiosi propius accedendo quaestione 186., art. 7., disquirit, in quonam perfecta religionis essentia proprie consistat et quanam ratione in consequenda caritatis perfectione religiosus per consilia juvetur? Jamvero summa eorum, quae in perquirenda religionis natura ex catholica doctrina statuit ac probat, eo redit, ut invictam conclusionem de religionis excellentia prae statu communi efficiant. Argumenta autem, quibus conficit et in observatione trium consiliorum perpetui voti obligatione firmata seu in tribus consuetis votis perfectam religionem consistere, et propterea eamdem praeceptis esse praeferendam, ad tria haec capita reducit:

1°. Tria religionis vota ea omnia removent, quae perfectionem et fervorem impediunt;

---

[1]) Cfr. etiam q. 188, a. 1, et q. 189, a. 1.
[2]) Q. 184, a. 1.
[3]) Collation. Patr., 1, c. 7.

2°. Tria religionis vota omnem animi inquietudinem omnesque saeculares sollicitudines excludunt, quae perfectionis progressui maximo impedimento esse solent;

3°. Per tria religionis vota homo totaliter et seipsum èt omnia sua in perfectam holocausti hostiam Deo offert, *immo magis holocaustum fit.* (S. Greg. M.)

„Religionis status, sic ipse sanctus quaestionem exponit, potest considerari tripliciter:

Uno modo, secundum quod est quoddam exercitium tendendi in perfectionem caritatis;

Alio modo, secundum quod quietat animum humanum ab exterioribus sollicitudinibus, secundum illud (I. Cor. 7., 32): *Volo vos sine sollicitudine esse;*

Tertio modo, secundum quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo[1]).“

2. Singula capita singulatim jam sunt ex sententia sancti doctoris exponenda.

Primum angelicus ipse in hunc modum declarat: „Primo, quantum ad exercitium perfectionis, requiritur, quod aliquis a se removeat illa, per quae posset impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio caritatis. Hujusmodi autem sunt tria:

Primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quae tollitur per votum paupertatis;

Secundum autem est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas praecellunt delectationes venereae, quae excluduntur per votum continentiae;

Tertium autem est inordinatio voluntatis humanae, quae excluditur per votum obedientiae.“

Quoniam videlicet *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae*[2]), qui in mundo vivit, facile se tradit inordinato amori voluptatum (conc. carnis), divitiarum (conc. oculorum) et inanis honoris (superbiae), ex quo dein innumerae illae culparum spinae oriuntur et tentationes, quae saeculares homines pungunt[3]), sementemque divinarum inspira-

[1]) Q. 186, art. 7 in corp.
[2]) I. Joan. 4., 16.
[3]) Luc. 8., 15.

tionum suffocant et caritatem vel minuunt vel totaliter perimunt.

Ast ex hoc mundo adeo periculoso religiosus divina bonitate eductus jam versatur in statu ab omnibus divitiis, deliciis atque honoribus libero et immuni; dumque plures omnino triplici illa concupiscentia mundana acti inordinate divitias quaerunt et delicias et dignitatum honores cum evidenti caritatis, immo et salutis aeternae, periculo, religiosus, quasi de Ur Chaldaeorum eductus et per religionis vota procul ab igne remotus, tot se beneficiis a Deo in religione cumulatum agnoscit, quot illorum pericula esse videt, tentationes et vitia, qui in mundo maligno vivunt. Recte igitur ex primo capite cum sancto doctore inferre licet, per vota religiosa ea removeri, quae hominem saecularem impediunt, quominus *„totaliter ejus affectus in Deum tendat;“* religiosi enim quasi triplici hoc votorum vallo cincti, adversus triplicem hostem muniti, universam operam suam expediti omnino et securi in caritatis perfectione consequenda collocare possunt[1]).

3. Alterum caput, quod, mundanis sollicitudinibus per religiosa vota penitus exclusis, religiosi a saecularibus anxietatibus ac curis minime perturbati continenter pergere in caritate consequenda possint, angelicus sic explicat:

„Similiter autem sollicitudinis saecularis inquietudo praecipue ingeritur homini circa tria:

Primo quidem circa dispensationem exteriorum rerum; et haec sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur;

Secundo circa gubernationem uxoris et filiorum, quae amputatur per votum continentiae;

Tertio circa dispositionem propriorum actuum, quae amputatur per votum obedientiae, quo aliquis se alterius dispositioni committit.“

Quia nempe triplici sollicitudine tangi ut plurimum solent homines saeculares, prima quidem de acquisitione et administratione externorum bonorum[2]), altera de cura propriae familiae, ac tertia de propriarum actionum electione et dispositione: triplici hac anxietate soluti existunt,

[1]) Cfr. Extrav. Joann. XXII; c. *Quorundam* 1, de V. S. circa finem.
[2]) Cf. etiam q. 188, art. 7.

qui per vota paupertatis, castitatis et obedientiae in religione servitio divino se manciparunt. Ex quibus cum sancto inferre possumus, in religione locum non esse illis progressus obstaculis quae saeculares retardant; *impedimenta* enim *quae hominis affectum ad terrena implicant, per religionis observantias auferuntur*[1]), *universaque perfectioni adversantia excluduntur, ita ut religiosi mente et corpore pariter expediti, quae Dei sunt, liberis mentibus exequantur*[2]).

4. Quomodo tandem religiosae professioni *holocausti* ratio tribui debeat, hisce breviter expromit s. Aquinas[3]):

„Similiter etiam holocaustum est, cum aliquis *totum quod habet* offert Deo, ut Gregorius dicit super Ezechiel (hom. 20).

Habet autem homo triplex bonum, secundum Philosophum in 1. Ethic.

Primo quidem exteriorum rerum, quas quidem *totaliter* aliquis Deo offert per votum voluntariae paupertatis;

Secundo autem bonum proprii corporis, quod aliquis praecipue offert Deo per votum continentiae, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis;

Tertium autem bonum est animae, quod aliquis *totaliter* Deo offert per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus.“ Hactenus doctor angelicus.

Religiosi oblatio quippe omnium oblationum, quae fieri ab homine possunt, longe perfectissima est; tradit enim divinae majestati quidquid tradere scit et potest, quum *omne quod habet,* ut verbis utamur s. Gregorii in cit. hom. super Ezech.[4]), *omne quod vivit, omne quod sapit omnipotenti Deo vovet.* Amore Dei relinquit quaecumque relinqui ab homine possunt: voto paupertatis scilicet non solum dominio bonorum renuntiat quae jam possidet, sed etiam omni jure se exuit ac voluntate ea quaerendi ac possidendi, ita ut vere dicere cum Petro valeat: *Ecce nos*

[1]) Quaest. 189, a. 1.
[2]) Orat. Domin. 19. p. Pent.
[3]) Quaest. 186, art. 7.
[4]) Apud Migne, Patrol. lat., t. 76., p. 1037.

reliquimus omnia. Voto castitatis religiosae renuntiat omnibus omnino sensibilibus voluptatibus carnis, non solum illicitis, sed iis etiam, quibus in matrimonio licite frui posset. Voto obedientiae denique propriam libertatem offerens se Deo totaliter devovet abnegando proprium judicium propriamque voluntatem. Quae omnia ut imperturbate simul atque expedite praestare possit, relictis omnibus: patre, matre, fratribus ac caeteris consanguineis, ad asperrima quaedam perferenda paratus est, quando lex caritatis et obedientiae id exigeret.

Atque hinc etiam fit, ut tria haec consueta vota religiosa professi antonomastice *religiosi*[1]) vocentur; etenim *totaliter se mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes*[2]), *nihil sibimetipsis reservantes*, sed omnia omnino, *sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, immolantes omnipotenti Domino* (S. Gregor. hom. cit.), quem proinde tanto in se liberaliorem experiuntur ac munificentiorem, quanto ipsi liberalius se atque arctius summae ejus majestati adstrinxerunt[3]).

Haec autem de statu religioso deque perpetua ac voto firmata trium consiliorum custodia, unde status religiosi natura *integratur*[4]), paucis e s. Thoma enotasse sufficiat. Qui plura de religiosae vitae excellentia prae via praeceptorum, necnon de aliis ejusdem bonis videre cupit, asceticos commentarios pervolutet, qui magno numero sunt a sanctis exarati. Circa quae

5. Duo tamen sunt, de quibus leviter saltem et quasi in transcursu non memorare non possumus:

Unum quidem est, quod posita doctrina catholica, omnia illa magnifica laudum praeconia, quae sancti Patres vitae religiosae nunquam non tribuerunt[5]), celeriter asse-

[1]) A religione nempe, quae definitur virtus per quam aliquis ad Dei servitium et cultum aliquid exhibet. 2—2, quaest. 81, a. 2.

[2]) Quaest. 186, a. 1.

[3]) S. Ignat. L. *Summar.*, 19.

[4]) Quaest. 186, a. 7.

[5]) Magna diligentia collecta sunt in egregio opere P. Hieronymi Plati *de bono status religiosi*, quod in varias linguas translatum saepius prodiit. Cf. De Backer, *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus*, t. 2., pp. 2016—2017; edit. 2.

quimur; ea enim non aliunde quaesita, sed contra obvia plane atque ut ita dicam, ex re ipsa nata esse apparent, si sententia genuina de natura religionis perspecta nobis est.

Alterum vero est, quod exinde facile causam intelligimus quae omni aetate tot praestantes viros ex omni ordine[1]) tam vehementer impulerit, ut relicto saeculo *repulsoque carnalium desideriorum strepitu, in religione Deo immolarent quidquid haberent, saperent, viverent atque operarentur*[2]). Quum enim Spiritu Dei agerentur ejusque lege ad meliorem vitam sequendam ducerentur, quomodo resistere potuissent Spiritui Sancto[3])?

Ex iis autem quae sancti ecclesiae doctores de altiori et meliori vita status religiosi, seu de perfectione caritatis in eo consequenda tradunt, cave inferas, vitam religiosam pro iis tantum esse, qui communem viam praeceptorum jam sint laudabiliter in saeculo secuti, quos sanctus Thomas idcirco vocat *in praeceptis jam exercitatos* q. 189., a. 1. Etenim coelestem illum perfectionis thesaurum pretiosamque margaritam, de qua Dominus loquitur in evangelio, non solum justis praebet, qui antea jam erant in praeceptis exercitati, sed illud idem inaestimabile bonum affert pluribus aliis, qui peccatis sunt obstricti, quique, si in saeculo mansissent, in aeternum periissent, quibus proinde vita religiosa unicum atque omnino necessarium salutis medium. Est ergo status religionis non solum omnibus universim religiosis insigniter utilis, sed et compluribus eorum apprime necessarius, quod quidem auctoritate sanctorum confirmabimus. Prius tamen exponendae breviter rationes sunt, quibus angelicus doctor eorum errorem confutat, qui generatim asserunt, *„eos qui nondum sint in faciliori praeceptorum observantia exercitati, ad perfectionem consiliorum convenienter transire non posse, sed prius esse in praeceptis exercendos.“*

6. Docet ergo s. auctor, quaest. 189., art. 1., in corpore: „Status religiosus est quoddam spirituale exercitium ad consequendam caritatis perfectionem: quod quidem fit,

[1]) Cfr. Laurentii Beyerlinck *Magni theatri vitae humanae* tom. 6. verb. *Religio,* pag. 1007 seqq., edit. Venet. Pauli Balleonii

[2]) S. Gregor. M., loc. cit.

[3]) C. *Duae sunt* 2. C. XIX. q. 2.

in quantum per religionis observantias auferuntur impedimenta perfectae caritatis. Haec autem sunt quae implicant affectum hominis ad terrena.

Per hoc autem quod affectus hominis implicatur ad terrena, non solum impeditur perfectio caritatis, sed etiam interdum caritas ipsa perditur, dum per inordinatam conversionem ad bona temporalia homo avertitur ab incommutabili bono mortaliter peccando.

Unde patet quod *religionis observantiae, sicut tollunt impedimenta perfectae caritatis, ita etiam tollunt occasiones peccandi:* sicut patet, quod per jejunium, vigilias et obedientiam, et alia hujusmodi, retrahitur homo a peccatis gulae et luxuriae, et quibuscunque aliis peccatis."

Unde recte infertur, religionem iis omnibus esse necessarium salutis medium, quorum vivendi ratio comparata sic est, ut *occasiones peccandi tolli aliter nequeant, quam per religionis observantias.*

Hujus illationis veritatem unius alteriusve sancti auctoritate jam confirmemus.

7. Mauritius imperator edita lege anno 592 praeter alia prohibuerat, ne illi, qui *in manu signati* aut conscripti milites essent, *in monasterio converti,* h. e. religiosam vitam amplecti possent.

Hujus *legis rigorem* ut imperator aut *interpretando* aut *immutando inflecteret,* s. Gregorius Magnus anno sequenti epistolam ad eumdem dedit[1]), in qua inter alias rationes abrogandae imperialis sanctionis et illam adducit, quod per novam hanc legem *(qualem, praeter Deo adversum Julianum, priorum imperatorum nemo dedit)* multi a consequenda salute aeterna arceantur, qui in statu religioso damnationem facile vitassent. Postquam enim initio epistolae se *omnipotenti Deo reum fore praemisit,* si principem quocunque demum praetextu veritatem celaret, deinde vero legem ipsam retulit et primam ejus partem *de non ordinandis iis qui munere publico fungerentur laudavit,* Summus Pontifex prosequitur de altera prohibitione in hunc modum: „Quam constitutionem ego, fateor dominis meis,

[1]) Lib. 3., ep. 65.; apud Migne, Patrol. lat., t. 77., pp. 662—665.

vehementer expavi, quia per eam coelorum via multis clauditur, et quod nunc usque licuit, ne liceat, prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum saeculari habitu ducere. *Et plerique sunt, qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt.* . . . Quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere constitutionem sentio, dominis tacere non possum... Sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo convertatur. Ego indignus famulus vester, scio quanti his diebus meis in monasterio milites conversi miracula fecerunt, signa et virtutes operati sunt. Sed per hanc legem jam, ne quisquam talium converti debeat, prohibetur. . . . Tremendus judex si omnia peccata dimiserit, et solum hanc legem contra se dixerit esse prolatam, quae, rogo, erit excusatio? . . . Quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meae paginam serenissimis dominis nuntiavi. . . . Quae debui exsolvi . . . et pro Deo, quod sensi, minime tacui." Haec Pontifex ad Mauritium imperatorem.

Quam firma animi persuasione autem s. Gregorius judicaverit, praedicta lege *viam coelorum multis omnino claudi,* qui in religione conversi etiam extraordinaria sanctitatis signa edidissent, inde patet, quod simul epistolam[1]) direxit ad *Theodorum* medicum, qui imperatori *familiarius serviebat,* rogans ipsum, ut et ipse caesari de revocanda lege suaderet, *liberius et apertius loquens eidem, quae pro anima ejus essent. Tu quidem, gloriose fili,* — talem fecit epistolae finem — *pro Christo loquere. Si auditus fueris, lucrum est animae praedicti domini tui, et tuae. Si vero auditus non fueris, lucrum solummodo tuae fecisti*[2]). Sic Gregorius ad imperatoris archiatrum, cum primam epistolam Constantinopolim dirigeret; sed nec postea petitione destitit, donec moderamen legis a Mauritio obtineret, quod metropolitis caeterisque episcopis, qui imperatori in Occidente parebant, propriis[3]) literis significavit: „Non est, verba sunt Pontificis, eorum (militum) conversio renuenda

[1]) Lib. 3., ep. 66., apud Migne l. c. p. 665—666
[2]) Ep. cit.
[3]) L. 7., ep. 5., edit. cit. p. 909—910.

pro eorum vita et lucro coelesti. Qua de re etiam serenissimus et christianissimus imperator, mihi credite, omni modo placatur, et libenter eorum conversionem suscipit.“

Videlicet cura aeternae damnationis periculum ab iis depellendi, quos nova lex per vetitum religionis ingressum *a vita coelesti* arcebat, totum animum vigilantissimi pastoris occupaverat.

8. Hanc Magni Gregorii persuasionem de multorum *necessitate statum religiosum ingrediendi* etiam posterae aetatis exemplo confirmemus; quod quidem exemplum tanto majoris momenti esse deprehenditur, quanto luculentius plurium sanctorum auctoritate suscipiendae religionis necessitatem ostendit. Est autem sancti Petri Damiani († 1072), qui in Vita s. Romualdi, cap. 11., haec omnino habet in rem nostram: „Alius quidam comes, *Olibanus* nomine, sublimi culmine terrenae potestatis erectus, aliquando Romualdum gratia visitationis adiit, et caeteris extra cellulam manentibus, solus cum solo gestorum suorum seriem narrare quasi per confessionem coepit. Cui vir venerabilis, his quae ab eo referebantur auditis, respondit, *aliter eum salvari minime posse, nisi mundum relinquens ad monasterium convolaret.* Comes autem, mox mente turbatus, ait, quia videlicet sui spirituales viri, qui ejus acta cognoscerent, nequaquam ita sentirent, neque tam intolerabilem rem sibi aliquando suaderent. Ascitis itaque episcopis et abbatibus, qui secum venerant, coepit in commune perquirere, an ita res, sicut Dei servus testabatur, se haberet? Illi autem b. Romualdi sententiam *omnes una voce confirmant*, se ante id comiti eatenus non dixisse, terrore constrictos, excusant. Tunc comes, remotis omnibus, hoc cum b. Romualdo secreto valde consilio pepigit, ut ad Cassinum montem sub praetextu orationis pergeret, et in monasterio s. Benedicti divino se servitio irrevocabiliter manciparet[1]).“

Simili fere ratione post annos circiter trecentos et quinquaginta s. Ivo († 1303), sanctissimus jurisconsultorum patronus, remedium salutis ab amico requisitus, *con-*

[1]) Apud Migne, Patrol. lat., t. 144., p. 966. Cf. cap. 15., pag. 968.

suluit et *quantum potuit induxit, ut ordinem intraret, quod et fecit*[1]*;* ex mente horum sanctorum quippe homines sunt, quibus necessarium omnino est religionem suscipere ad salutem aeternam consequendam.

9. Jamvero vis hujus ex ipsa necessitate se salvandi erutae rationis, qua fidelis quilibet, etiam clericus beneficium ecclesiasticum habens, impelli se ad ingrediendam religionem profiteatur, adeo infirma non est, etiam juxta probatos doctores recentioris aetatis, ut Benedictus PP. XIV. saeculo proximo elapso, cardinalem Quirinum meliora edocens, in suo brevi *Ex quo* d. 14. Januarii an. 1747[2]), contra solemniter edixerit, prae hoc argumento *de necessitate animam salvandi* omnes alias rationes omnesque aliorum sive superioris sive etiam ecclesiae propriae utilitatis nihil esse curandas, immo plane negligendas: *„hac una exceptione enim,* ait Pontifex, *in judicio se tuebitur* clericus vitae religiosae cupidus *adversus episcopum, qui ipsum ad animarum curam revocare contendat.“* Et relatis s. Gregorii verbis, quae supra dedimus, sic infert Benedictus: *„Nunc ergo quilibet beneficiatus, canonicus, archidiaconus, parochus, qui officium aut ministerium suum cum religiosa vita commutaverit, se non inter multos* (qui nempe secundum s. Gregorium religiosam vitam etiam cum saeculari habitu ducere possunt), *sed inter plerosque* (qui scilicet, nisi omnia reliquerint, salvari nullatenus possunt) *connumerandum esse affirmabit*[3])*.“*

Ex sincera hac catholicorum Patrum ac doctorum sententia de statu religioso plura quidem corollaria deduci possent; ex iis tamen nonnisi pauca quaedam, quae in praesenti quaestione usui esse possunt, antea seligimus, quam ipsos ecclesiae canones de *libertate religionem ingrediendi* adducamus.

10. Ex doctrina exposita ergo apparet

I. *Quam periculosum sit, divinae vocationi ad religionem non obtemperare, vel ipsum religionis ingressum in longinquum tempus differre.* Praeter enim quam quod sponte

[1]) Acta Sanctorum, ad d. 19. Maji, in processu de vita, etc., c. 7., n. 55.
[2]) Magn. Bullar. Roman., ed. Luxemburg. tom. 17., p. 101.
[3]) Brev. cit., § *Hujus tamen,* p. 104.

veluti sua ex praedictis fluit, ejusmodi hominem in magno damnationis periculo versari[1]), illud ipsum disertis etiam minimeque ambiguis Patrum testimoniis amplissime confirmatur. Duos testes protulisse satis sit.

Terribile admodum exemplum est quod *s. Bernardus* proponit in epistola ad *Thomam de Sancto-Audomaro*[2]), post transgressionem promissionis suae veniendi ad religionem. Quum nempe Thomas ob literarum studia religionis ingressum differret, ad eum deterrendum alterius in simili causa exitum infelicem proponit abbas Claraevallensis his omnino verbis: „Heu! Heu! videris mihi uno spiritu ambulare, sicut et uno censeri nomine, cum altero illo *Thoma,* olim scilicet praeposito de Beverla, qui cum se similiter nostro ordini toto desiderio devovisset[3]), coepit induciari, et ita paulatim refrigescere, donec subita et horrenda morte praereptus factus de medio est saecularis et praevaricator et duplo filius gehennae; quod ab eo, si fieri potest, avertat misericors et miserator Dominus. Exstat epistola quam ad eum frustra scripsi.... Beatus foret, si me audisset. Dissimulavit: mundus ego sum a sanguine ejus.... O judiciorum Dei abyssus multa! O terribilis in consiliis Deus super filios hominum!... Fuit culpa addentis praevaricationem contristare Spiritum . . ., contemnere gratiam, nec mancipare effectui suggestum Dei[4])."

„Multa praesentio imminere tibi pavenda tardanti![5])"

Gravem item neglecti in religionem ingressus antea promissi poenam ostendit *s. Petrus Damianus,* in ep. ad *Landulphum,* clericum Mediolanensem, quae habetur tom. 2.[6]) opusculo 42, monens eum, ut promissionem de suscipienda religione adimpleat.

---

[1]) Cfr. s. Alphons. de Lig., l. 4., n. 78., cui § hunc finem imponit: „*Vocatos* teneri religionem ingredi, ut *salventur;* quia Deus ipsis in saeculo negabit auxilia, quae in religione eis parata habebat, et quibus destituti, licet auxiliis ordinariis salvari possent, de facto tamen *difficulter* salutem adipiscuntur."

[2]) Ep. 108, apud Migne, Patrol. lat., t. 182., pp. 249–250.

[3]) Hoc est: promisisset ordinem nostrum ingredi. Cfr. ep. 395 et serm. 63 in cant. n. 6.

[4]) § 3. [5]) Loc. cit. §. 4.

[6]) Apud Migne, t. 145., pp. 668—669.

„Dicam, inquit sanctus, quod super non dissimili re nuper apud nos accidisse cognoscitur.“

Narrat deinde cap. 2. *Arduinum* damnatum esse, quod monasticum habitum, ut voverat, non suscepisset; et tamen ante mortem „judicio sacerdotum erat a peccatis absolutus, pauperibus et ecclesiis multa distribuerat, in tantum, ut, cunctis quasi bene dispositis, assistentes sub hac attestatione constringeret: Obsecro, inquiens . . ., nemo me reddi huic mortali vitae deposcat, ne, quod absit, imparatum postmodum mors improvisa reperiat.“

Qui ergo a Deo vocatus suam *conversionem in monasterio quibusdam tergiversationibus protelat*[1]), is s. Bernardo auctore, *„supra modum peccat peccatum.“* Ibi enim *gratia subintrat*[2]), *ubi abundat delictum*[3]).

11. Ex doctrina proposita apparet,

II. *Quantum generatim et in Deum et in proximum ille peccet, qui alium, a divina misericordia in religionem vocatum, ab ea capessenda deducit, speciatim vero, quanto suo periculo vel ipsi superiores aliquem ex sibi quocumque tandem titulo subditis ab ingrediendo ordine religioso abstrahunt aut deterrent.* In utroque enim casu periculum ejus, qui a religione abstrahitur, ille in se suscipit, qui eum ab ingressu avertit. Atqui Gregorio auctore, periculum hoc *plerumque* summum est ac prorsus capitale: *„Plerique* enim (ad religionem vocatorum puto) *sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt.“*

Post explicatam doctrinam de status religiosi natura, per se quidem clarum hoc est; sed illud vetustioribus aeque ac recentioribus doctoribus semper fuisse perspectum probatumque etiam expressis auctoritatibus ostendere operae fuerit pretium.

Itaque ad primam ejus partem illustrandam facit, quod scribit s. Ambrosius lib. 1., c. 11., nn. 65—66 *de Virginibus*[4]). Ibi sanctus episcopus virginem commemorat, adhuc viventem, cum ipse hoc scriberet, *nobilem in sae-*

[1]) Ita loquitur s. Petrus Dam., l. c.
[2]) Ep. cit.
[3]) Cfr. s. Alph., lib. 4., n. 78.
[4]) Apud Migne, Patrol. lat., t. 16., pp. 206—207.

culo, ut ait, *nunc nobiliorem Deo*, quae quum religiosae vitae amore ad altare confugisset, *urgerentque propinqui ad nuptias* sponsum offerendo et divitiarum commoda proponendo, illa semper constans et invicta perstiterat. *Silentibus caeteris unus abruptius* et perfractius: „*Quid si, inquit, pater tuus viveret, innuptam te manere pateretur?*“ *Tum illa, majori religione,* — ita s. doctor, — *moderatiori pietate: „Et ideo fortasse defecit, ne quis impedimentum possit afferre.“ Quod ille responsum de patre de se oraculum maturo suo probavit exitio.* Atque ita persuasum est omnibus, praedictum propinquum eam ob causam esse morte sublatum; *caeteri enim, eadem sibi quisque metuentes exinde favere coeperunt, qui impedire quaerebant.* S. Ambrosius autem postquam et ipse persuasum id habere significavit, sermone ad propinquos converso, libro primo ita finem imponit: „*Parentes, cavete offensionis exemplum.*“ Ex sancti Patris sententia magnum utique piaculum committit, qui alium a vita religiosa deducit.

Neque aliud fuisse recentioribus ecclesiae luminibus persuasum, praeter alia bene multa, quae afferri possunt, et illud probat, quod de *s. Raymundo de Pennafort*, qui tertius fuit ordinis Praedicatorum praepositus[1]), literis consignavit *Leander Albertus*[2]). Is cuidam scholastico adolescenti forte dissuaserat religionis ingressum; *quapropter deinde conscientia exagitatus, ad expiandum peccatum suum, quod illi dissuaserat, ipse amplexus est: relictis videlicet mundi illecebris, favore et gratia, cum omnium admiratione ordinem Praedicatorum ingressus est*[3]).

12. Haec de priori parte illationis deductae.

Ad alteram vero quod spectat, h. e., quod ad grave periculum, quod illi nominatim sibi facessunt, *qui hominem sibi subditum ab ingredienda religione* ideo *deterrent*, quod ipsis jus competat, illum in saeculo retinendi, atque ex ipsius opera utilitates capiendi: ex allatis sanctorum Pa-

[1]) Idem, qui Gregorii PP. IX. mandato decretales ex prioribus quinque compilationibus collectas in ordinem redegit. Obiit an. 1275.

[2]) Apud Surium, 6. Jan.

[3]) De peccato eorum qui alios a statu religioso avertunt, cfr. s. Alph. l. 4., n. 77.

trum auctoritatibus liquet, illud minus non esse, quam si alienum nullaque ratione sibi subjectum a religione abstraherent. Satis habeo duo Patrum testimonia recoluisse.

S. Gregorius M. constitutionem Mauritii non solum propterea *vehementer expavit*, quod iis, qui *per eam* ab amplectenda vita religiosa arcerentur, *via coelorum clauderetur;* sed vero idcirco etiam, quod imperatori ipsi per novam legem graves calamitates inferrentur. *Unde* illum *per tremendum judicem,* (in cujus judicio eorum damnum, quos a religione abstraheret, esset praestiturus) *deprecatur, ne* sua opera bona, videlicet *illae tantae lacrymae, tantae orationes, tanta jejunia, tantaeque eleemosynae ex qualibet occasione, apud omnipotentis Dei oculos fuscentur*[1]).

In epistola ad Theodorum autem amico suo aperte significat, se de *tali lege vehementer flere debere,* quod, *„imperatorem pure amaret."* Hinc illum adhortatur, ut domino suo de revocanda lege pro Christo suadeat, imperatoris *animae lucrum* ita facturus.

Ergo s. Gregorius constitutionem Mauritii non militibus solum, sed ipsi imperatori quoque summe exitiabilem judicavit, quantumvis ea non alios attingeret, quam quibus princeps legitime imperabat.

Altera auctoritas est sancti *Petri Damiani.* Postquam s. episcopus narravit[2]) *Arduinum* esse damnatum, quod monasticum habitum suscipere distulisset, et suae damnationis nuntium *aliquanto post obitum tempore per visum nocturnae quietis illi abbati apparuisse,* qui, ne in monasterio beati Vincentii converteretur, dissuaserat, paucis interjectis *solerter hic attendendum* esse monet, *quam recta sit linea divinae justitiae,* primo quidem, quod Arduinus, *dum adhuc viveret, convertendum se in monasterio beati martyris et promitteret et differret: nunc autem ad ejusdem martyris venire colloquium nullatenus impetraret;* deinde vero, *quod is potissimum hanc cerneret visionem, qui ne converteretur, illi obstiterat.* Reus quippe vir ille erat, quamvis Arduini, in saeculo viventis, *pernecessariis sustentaretur auxiliis.* (Loco cit., p. 668).

---

[1]) Cit. epist. 65. § *Requirat.*
[2]) Opusc. 42. cit.

Quae si tamen non sufficiant, addam et alius sancti episcopi testimonium, *Turonensis Gregorii* scilicet; idque etiam aliorum Patrum sententiam de periculo eorum, qui aliquem ex sibi subditis a religione avertunt, in aprico ponet. Desumptum autem est ex Gregorii libro cui titulus: „*Vitae Patrum.*“ Beatissimus Portianus[1]) — ipse loquitur Gregorius[2]) — ab ineunte aetate Deum quaerere coeli semper etiam inter terrena servitia, conabatur. Sic enim servus fertur fuisse cujusdam barbari Franci. Is, quum plerumque ad monasterium confugeret, ut eum domino suo abbas redderet excusatum: ad extremum fugiens[3]), dominus ejus de vestigio sequitur et abbatem calumniari coepit, reputans, quod ipse eum seduceret, *ne sibi suus famulus deserviret.* Quumque de consuetudine, ut eum redderet, calumniando abbatem insisteret, dicit abbas Portiano: Quid vis ut faciam? Et ille: Redde, inquit, me excusatum. Quumque excusatus redditus fuisset, et dominus ejus reducere eum domum vellet, ita caecatus est, ut nihil penitus posset agnoscere. Cernens autem se gravibus doloribus affici, abbatem vocat, dicens: Supplica, quaeso, pro me Dominum, et accipe hunc servum ad ejus cultum; forsitan promerebor recipere lumen amissum. Tunc abbas vocatum beatum ait: „Impone, quaeso, manus tuas super oculos ejus.“ Quumque ille refutaret, tandem abbatis devictus precibus, super oculos domini sui signum beatae crucis imposuit: statimque dirupta caligine, et sedato dolore, pristinae redditus est sanitati. At vero exin beatus Portianus clericus factus tanto virtutis cumulo est praelatus, ut decedente abbate ipse succederet.“

Hoc Gregorii testimonium si cum iis praesertim conferatur, quae ex sanctis Ambrosio et Gregorio Magno transcripsimus, nullam dubitationem relinquit de sententia Patrum circa periculum eorum, qui alios ab amplectenda vita religiosa avocant; etenim quum poena nunquam major possit esse quam culpa, magno scelere utique adstringere

---

[1]) Ob. an. 527.
[2]) Cap. 5., n. 1.; apud Migne, Patr. lat., t. 71., p. 1026.
[3]) *Al. fugientem.*

se dicendus est, qui alium — quantumvis sibi subditum — impedit, quominus Deo vocanti obtemperet. *Qui enim afflatus Spiritu Sancto in aliquo monasterio salvare se voluerit, Spiritu Dei is agitur; et ubi Spiritus Dei, ibi libertas*[1]).

13. Ex sententia catholica de praestantia status religiosi tandem apparet,

III. *Ecclesiam non potuisse non adhibere assiduam et vigilantem curam tum de asserenda suis, etiam clericis beneficiatis, libertate amplectendi statum religiosum, tum de illa solemniter vindicanda contra indiscretas superiorum difficultates, sicubi clericis conversuris eas afferrent praelati.*

Hisce legibus enim, quae libertatem ingressus in religionem tuentur, quae sequenti capite exponentur, ecclesia suam suorumque Patrum doctrinam de status religiosi excellentia, immo de non infrequenti, ut vidimus, necessitate illum amplectendi verbis expressit ac declaravit; et Summi Pontifices canonicis suis statutis ad traditionis normam ac, prout ipsa fert religionis natura, legem sanxisse probantur; quod etiam factum videmus in alia quaestione huic simillima, nempe in controversia de *transitu ad religionem strictiorem*[2]). Ideo enim fieri hunc transitum posse dixerunt, *etiam non obtenta licentia* proprii praelati, ne sc. ex ejus indiscreta et irrationabili denegatione praestantius bonum majoris perfectionis impediri posset; ergo *a fortiori* summis ecclesiae pastoribus, quibus pascendi munus Dominus commisit, cura esse debuit eorum, *qui plerique, nisi omnia reliquerint, salvari nullatenus possunt,* quod s. Gregorii M. argumentum etiam a Benedicto PP. XIV., quem recentioribus *„tam liberalem Papam*[3])" nominare jam libet, contra cardinalem Quirinum adhibitum fuisse supra innuimus.

De hac libertate autem quid diversis aetatibus et ecclesiae praesules sanxerint et probati doctores senserint, breviter jam est secundum temporum ordinem enarrandum.

---

[1]) Urban. PP. II. (c. 2, C. CXIX., q. 2.)
[2]) C. *Licet* 18. X. de regularibus (III., 31.)
[3]) Cfr. Rmus. DD. Fessler, *Das kirchliche Bücherverbot.* Wien, 1858, p. 77.

Caput II.

Sanctiones canonicae de libertate clericorum religionem amplectendi ex ordine recensentur.

14. Brevem conspectum hujus ecclesiasticae disciplinae capitis exhibituri, initium a *Gregorio M.* sumimus.

Jam vero, s. Gregorii tempore etiam clericis liberum ad religiosa castra patuisse aditum, res est explorata satis, ad quod probandum necessarium non ducimus cum recentiori quodam scriptore *ad communicationem privilegiorum militarium* recurrere.

Quemadmodum scilicet *privilegium competentiae* clericis ex paritate cum militibus saeculi asseritur: ita sunt, qui universim concludant, clericos omnibus privilegiis militum gaudere, dummodo tamen eorum statui conveniant; eo quod clerici passim dicantur *militare*[1]), et a milite armatae militiae ad militem coelestis militiae sumatur argumentum probabile, frequens et utile. Hinc clericos neque *privilegio liberi ingressus in religionem,* a s. Gregorio militibus adjudicato, carere posse recens auctor intulit.

Quae tamen argumentandi ratio, praeterquam quod et alio eoque multiplici vitio laborat, vel ob id solum nobis rejicienda videtur, quod ibi sermo de privilegio esse non potest, ubi de *medio,* juxta s. Gregorium, *plerumque ad salutem necessario* agitur.

Missis igitur hujus argumentationis fallaciis, ex ipso s. doctore quaeramus, quid de libertate clericorum vitam religiosam amplectendi senserit, quave ratione sua sensa declaraverit.

15. *Pancratius* quidam, ecclesiae Viennensis diaconus, *divina inspiratione compunctus, gratiam monasticae conversationis appetens,* religiosam vitam amplexus erat et in eodem diaconi gradu in monasterio degebat. Quum autem Desiderius, Viennensis ecclesiae episcopus, Pancratium de monasterio *avellere* et in pristino *officio suae vellet ecclesiae*

[1]) C. *Reprehensibile,* 19. C. XXIII. q. 8. alib.

revocare, Pancratius contra s. Gregorii opem imploraret, Pontifex epistolam ad Desiderium direxit, ut ipsum potius hortaretur, ne a religione suscepta discederet neve se iterum saecularibus curis implicaret. „*Hortamur igitur* — inquit Pontifex sanctus — *ut tam promptae devotioni ejus*, quam in sancto studet habere proposito, *minime vestra sit impedimento fraternitas;* magis autem quibus valetis adhortationibus, pastorali admonitione succendite, ut fervor hujus desiderii in eo non tepescat; *ut qui*, a turbulento curarum saecularium tumultu se segregans, *quietis desiderio portum monasterii appetiit, rursum in ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari*, sed in Dei laudibus permittatur secure ab his omnibus, ut postulat, remanere[1]).“

Quod quidem Gregorius rescribere non dubitavit, ut Benedictus XIV. sapienter observat[2]); quamvis Pancratius *in clericatus officio ecclesiae Viennensis*, ut ipse ait[3]), *mancipatus* existeret, ipsius nempe servitiis reipsa addictus; quamvis etiam eo tempore hujusmodi disciplina vigeret, ut clericus episcopo ordinanti *per omnia* subesset ejusque ecclesiae ministerio, cui in ordinatione adscriptus fuisset, perpetuo jure devinctus haberetur; quamvis denique idem sanctus Gregorius nosset, nemini licere ab hujusmodi ministerio ecclesiae, cui semel addictus fuisset discedere, sine permissu episcopi, a quo quis ordinatus cujusque ecclesiae servitiis in ordinatione fuerat adscriptus: unde in alia epistola[4]), quum ageret de electione Joannis, archidiaconi Catanensis, ad episcopalem cathedram Syracusanam, inter alia requirebat, ut Leonis, episcopi Catanensis, consensus accederet: „*Quod si factum fuerit, etiam frater et coepiscopus noster Leo ei cessionem facere debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri.*“ Haec a Benedicto XIV. ad s. Gregorii M. epistolam observata. Sed de obedientia canonica ex ordinatione manante inferius.

Ergo de sententia Gregorii *circa libertatem clericorum vitam religiosam amplectendi* deque ejus vigilanti cura,

[1]) Lib. 12., ep. 35; apud Migne, Patrol. lat., t. 77., p. 1245.
[2]) Brevi *Ex quo* cit., loc cit.
[3]) Epist. cit.
[4]) Lib. 5., ep. 17.

eorum jus contra episcoporum difficultates tuendi jam dubitari non potest. Quamvis eos indissolubili sacramenti vinculo servitio propriae ecclesiae adstrictos proprioque praesuli in omnibus subjectos crederet, illis nihilosecius liberum religionis ingressum asseruit, eadem cum Benedicto XIV., puto, ratione ductus, ob quam illum militibus liberum relinqui voluit. Quae causa cum ubique occurrat, ubique etiam eadem clericis erat tutanda convertendi libertas, quod et factum esse, firmissimis historiae monumentis probatur.

16. Itaque libertatis convertendi clericis assertae, testes sunt

Saeculo septimo

undeseptuaginta patres, qui anno 633 ex universa Hispania et Gallicia apud Toletanam urbem convenientes concilium generale[1]) (Toletanum IV.) sancto Isidoro Hispalensi praeside egerunt[2]). Inter caetera enim quae *salubri consilio ad Ecclesiae et animae suae profectus*[3]) Toleti statuerunt patres (sex videlicet metropolitani, quinquaginta sex episcopi et vicarii septem absentium antistitum), etiam gravissimum testimonium occurrit libertatis quam s. Gregorius ante triginta et unum annos clericis assertam voluerat, *canone quinquagesimo,* sic habente: „*Clerici, qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasterio largiri oportet ingressus*; *nec interdici propositum eorum qui ad contemplationis desiderium transire nituntur*[4])." Porro sagacem hujus canonis lectorem minime fugiet concilium Toletanum clericorum libertatem non solum defendere, sed etiam ejus defendendae rationem in excellentiori natura vitae religiosae collocare.

17. Testes sunt quotquot *Isidori Mercatoris* collectionem

Saeculo nono

fere mediante editam, facillime receperunt. Eam vero exinde plerumque fuisse receptam, docent nos Pontificii

[1]) Hefele, *Concilien,* t. 3., p. 72.
[2]) Act. Concil., § 1., apud Hardouin, t. 3., p. 578.
[3]) Loc. cit. § fin., p. 595. [4]) Loc. cit., p. 589.

Primatus adversarii, jugiter querentes, per falsas Isidori decretales novam esse in Ecclesia disciplinam introductam, eo quod impostoris collectio communiter fuerit adhibita in sequentibus conciliis, inter quae Natalis Alexander[1]) memorat concilium Aquisgranense anni 836; conc. Coloniense anni 887; conc. Moguntinum anni 888; conc. Metense post an. 887; conc. Triburiense anni 895; conc. Remense anni 992 et conc. Lateranense sub Calixto II. celebratum.

Jam vero adversariorum potestatis Pontificiae calumnia per recentiores auctores penitus repulsa, ex eorum querelis hoc unum notare satis habeo, ex iis scilicet oppido liquere, etiam Toletanos canones, Isidorianae collectioni insertos[2]), una cum caeteris capitibus ejusdem libri ecclesiae fuisse et notos et probatos; neque id mirum accidere potest, quum eos antiquae doctrinae conformes invenerit.

18. Libertatis clericorum religionem suscipiendi

Saeculo decimo

testes sunt patres, qui cum sanctis *Udalrico*, Augustanae, et *Conrado*, Constantiensis ecclesiae episcopis, nec non cum *Adalberto*, Antistite Passaviensi, *viro*, ut ait Catalog. Cremifan.[3]), *competenter bono*, ex diversis provinciis[4]) Augustam convenerunt anno 952 „*concordi diligentia tam sancti cleri, quam populi ecclesiae stabilitatis profectus et totius christianitatis utilitates tractaturi*[5]). Inter caetera capitula autem quae *communi omnium assensu* in Augustana synodo stabilita sunt et *titulata*[6]), et hoc habetur sub numero 7.:

„*Clericis monachicum habitum sequi cupientibus, et pro remuneratione divina saecularibus spretis arctiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab episcopo*

---

[1]) *Histor. ecclesiasticae* saec. I., dissertat. XXI., art. I.
[2]) Can. 49., ed. Migne, p. 475.
[3]) Cfr. Hansitz Marc., *German. sacra*, t. I., p. 203.
[4]) Concilio interfuerunt quatuor metropolitae
[5]) Apud Hard., t. 7., p. 615.
[6]) Loc. cit. p. 617, et Hefele, *Concilien*, t. 4., p. 575.

denegetur, sed potius eum in tali conversatione perstare exhortari conetur sicut in concilio Toletano habetur capitulo."

Observabit lector, a patribus Augustanis non tam novam legem esse propositam, quam antiquam novis rationibus firmatam ecclesiasticaeque traditionis genuinam sententiam iisdem uberius explicatam. Praeterquam quod enim synodus nominatim ad canonem quinquagesimum concilii Toletani IV. provocat, facile apparet, *primo quidem,* incisum illud *„pro remuneratione divina saecularibus spretis*" referri ad Matth. 19.: *„Amen dico vobis, quod vos . . . sedebitis et vos super sedes duodecim,*" et ad ejus loci ab antiquis ecclesiae doctoribus datam interpretationem; *deinde vero* patrum animis obversatam esse s. Gregorii epistolam ad Desiderium Viennensem, de qua supra n. 15. — Non mirum ergo, quod clericis libertatem religionem ingrediendi etiam nunc Germaniae praesules ex traditionis praescripto religiosissime ac firmissime tutentur, reverentiae sc., quae sanctis praedecessoribus debetur minime obliti.

19. Ejusdem libertatis vitam religiosam amplectendi

Saeculo undecimo

testis est *Urbanus* PP. II., seu alius ecclesiae Pontifex, qui in capitulo *sancti Ruffini*[1]) sic habet:

„Duae sunt leges: una publica, altera privata. Publica lex est, quae a sanctis patribus et scriptis est confirmata, ut est lex canonum, quae quidem propter transgressiones est tradita. Verbi gratia: decretum est in canonibus, clericum non debere de suo episcopatu ad alium transire sine commendatitiis literis sui episcopi, quod propter criminosos constitutum est, ne videlicet infames ab aliquo episcopo suscipiantur personae. . . .

„Lex vero privata est, quae instinctu S. Spiritus in corde scribitur, sicut de quibusdam dicit apostolus: *Qui habent legem Dei scriptam in cordibus suis. . . .*

---

[1]) Alii *Rufi* legunt. Habetur c. *Duae sunt.* 2. C. XIX., quaest. 2., et apud Anselm. Lucens., l. 7. in fine.

„Si quis horum in ecclesia sua sub episcopo populum retinet et saeculariter vivit, *si afflatus Spiritu Sancto in aliquo monasterio vel regulari canonia salvare se voluerit,* quia lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut a lege publica constringatur. Dignior enim est lex privata (instinctu S. Spiritus in corde scripta) quam publica. Spiritus quidem Dei lex est, et qui Spiritu Dei aguntur lege Dei ducuntur: et quis est, qui Spiritui Sancto possit digne resistere? Quisquis igitur hoc Spiritu ducitur, *etiam episcopo suo contradicente,* est liber nostra auctoritate. Justo enim lex non est posita[1]), sed *ubi Spiritus Dei, ibi libertas*[2])."

Ad hunc canonem Urbani notandum, neotericos quidem cum *Sebastiano Berardi*[3]) — qui non sine cautela etiam quod ad caeteras partes legendus est — docere, capitulum hoc Urbano PP. II. vix congruere; sed post Benedictum XIV.[4]) ad probandam libertatem clericorum vitam religiosam amplectendi recte adducitur. Confirmata quippe distinctione Urbani inter legem privatam et legem publicam, Benedictus prosequitur in hunc modum: „*Ex hujusmodi principio arguitur, licere clerico beneficiato, etiam contradicente episcopo, beneficium relinquere et in monasterium se recipere.*"

Quoniam vero Berardi alia Urbani loca affert ad evincendum, hoc capitulum praefato Papae tribui non posse; ex alio item eoque certissimo loco placet brevissime transcribere, quid ille Pontifex de sacculari clericorum vita prae regulari senserit. „Duae vitae — verba sunt Urbani in epist. ad canonicos sancti Pauli Narbonens.[5]) — sunt ecclesiae filiis institutae: una qua infirmorum debi-

[1]) Quonam sensu hic et alibi adducta a Pontificibus sententia sit: *Lex non est posita justo,* exponunt Joannes Dridoens, *de Libertate Christiana,* l. 1., et Barbosa, in c. *Licet,* de regularibus. cit. Conferantur etiam quae habet s. Thom., 1—2, q. 96, art. 5.

[2]) Eodem argumento ex II. Cor. c. 3. eruto Innocentius PP. III. utitur in c. *Licet,* de regular., cit.

[3]) *Gratiani Canones,* etc., ad c. *Duae sunt,* c. XIX. q. 2.

[4]) Brev. *Ex quo,* cit., p. 102. Eadem Urbani constitutione praeter alios usi sunt Innocentius PP. IV. in cap. *Licet,* de regul., s. Thom., 2—2., q. 189.; s. Antonin., III. part., tit. 16, c. 2.

[5]) Apud Migne, Patrol. lat., t. 151., p. 360.

litas retinetur; altera, qua fortiorum virtus beata perficitur: una remanens in Segor parvula, altera ad montis altiora transcendens; alteram tenentes inferiorem bonis terrenis utuntur; alteram sequentes superiorem bona terrena despiciunt et relinquunt."

Qua doctrina de praestantia vitae religiosae prae saeculari posita, ecquid est in adducto capitulo sancti Ruffini, quod congruere Urbano non possit?

20. Libertatem convertendi clericis fuisse adjudicatam

testis amplissimus est *Magister Gratianus,* qui in Decreto, in *divino* illo ac *insigni* canonum *codice*[1]), suis *dictis* luculentum testimonium perhibet.

„Duo clerici, sic causam XIX. exorditur Gratianus, ad monasterium transire voluerunt; uterque licentiam ab episcopo suo petiit; unus relicta ecclesia propria *eo invito,* alter dimissa regulari canonia coenobio se contulit. Modo quaeritur, *si episcopus debeat permittere, ut relicta propria ecclesia clericus monasterium ingrediatur?* Secundo quaeritur, si episcopus licentiam dare noluerit, *an eo invito* monasterium possit adire?"

Propositas interrogationes autem distinctis responsionibus dissolvit Magister quaestionibus *prima* et *altera.*

„Quaestio I. Quod episcopus licentiam clericis adeundi monasterium dare debeat, in Toletano IV. concilio praecipitur;" atque e vestigio probatur ipso Toletano canone quinquagesimo adducto.

Primam quaestionem excipit quaestio II, in qua postquam Gratianus regulam canonicam posuit, quod clericus absque permissu episcopi ab ecclesia sua discedere et alterius servitio se adjungere nequit, hanc exceptionem subnectit: *Sed subaudiendum est, nisi ad propositum melioris vitae transire voluerit. Tunc enim liberum est, etiam episcopo contradicente, monasterium ingredi. Unde Urbanus II. in capitulo sancti Ruffini,* c. 2.: *Qui monachorum propositum appetit, etiam invito episcopo suscipiendus est:*

[1]) Cfr. Phillips, t. 4., p. 150.

„*Duae sunt,* inquit, *leges*“ — et sequitur canon Urb. II. jam transcriptus. Merito ergo Benedictus PP. XIV., ad praedictas canonicas sanctiones contra cardinalem Quirinum provocans, plus semel affirmavit, quaestioni de libero clericorum ingressu in religionem satis esse in canonibus ecclesiasticis provisum[1]).

21. Ejusdem libertatis clericorum

Saeculo tertio decimo

sanctissimus testis est *Innocentius PP. IV., „pater et organum veritatis, lucidissimaque decretorum stella“* passim a juris utriusque consultis nuncupatus[2]). Jam ob insignem juris peritiam ad cardinalatus dignitatem antea promotus, ac tandem Pontifex renuntiatus anno 1241, *commentarios in quinque decret. libros* Lugduni composuit, quo tempore in ea urbe concilium habebat. Testimonium autem, quod in iisdem clericorum libertati dat, habetur in commentario ad cap. *Licet* 18, de regularibus et transeuntibus ad religionem. Innocentii PP. III. verba: „Si *probabiliter* dubitetur utrum quis velit ad ordinem arctiorem aut laxiorem ex caritate an ex temeritate transire, superioris est judicium requirendum,“ sic commentatur Innocentius PP. IV.: „Si *probabiliter* respondeat abbas, sed monachus in suo proposito perseveret, tunc superior est requirendus; et haec de monacho: *Clericus autem potest transire ad religionem non petita licentia, etiamsi contradicatur XIX, q. 2,* Duae. *Crederemus tamen, quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima ecclesia gravem sustineret jacturam*[3]).“

Hujus exceptionis amplitudinem *abbas Panormitanus* infra n. 23 citandus declarabit.

---

[1]) Cit. Brev., § *Atque haec,* p. 102, et § *Verumtamen,* p. 103.

[2]) Phillips, t. 4., p. 318.

[3]) Quamquam jam Pontifex egregios suos *Commentarios in quinque decretalium libros* Innocentius ediderit, ea tamen modestia fuit, ut non pro pontificia potestate praecipuum scriptis suis robur addiderit, sed ea tanquam privati doctoris opus habere voluerit (Phillips, loc. cit.). Nihilominus commentarii Innocentiani in tanta apud posteros dignatione fuerunt, ut, teste *Diplovatacci* (Vita Innoc.), in Curia Romana vix occurrerit quaestio, quae per ipsos decisa non fuerit.

Cum Innocentio IV. concordat *Henricus de Segusia,* cardinalis, et ab eximio suo episcopatu Ostiensi vulgo *Hostiensis* dictus, et propter praeclaros quibus jus illustravit commentarios *„juris utriusque monarcha“* appellatus. Is vero eodem tempore cum Innocentio vixit, Ebrodunensis archiepiscopus ab eo paulo ante ipsius obitum creatus[1]).

22. Clericorum libertatis religionem ingrediendi eodem

Saeculo tertio decimo

et testis integerrimus et vindex invictissimus existit *s. Thomas Aquinas,* angelus scholae. Omnem laborem articuli 7. quaestionis 189 (2—2) consumit in dirimenda controversia: *„Utrum presbyteri curati possint licite religionem ingredi?“* Quaestionem autem *affirmative* resolvit, ea ratione ductus, quod *nullo voto solemni et perpetuo* ad curam animarum retinendam obligantur, sicut ad hoc obligantur episcopi. *Unde manifestum est,* haec est illatio doctoris angelici, quod *archidiaconis et presbyteris curatis licet ad religionem transire,* quia nulla lege tenentur toto vitae tempore curam animarum sustinere[2]).

23. Eadem clericorum libertas

Saeculis XIV. et XV.

testimoniis confirmatur *Abbatis* seu *Panormitani* (1370—1443) et *s. Antonini,* archiepiscopi Florent. (1389—1459).

Nicolaus de Tudeschis, Siculus, a Monacensi sua abbatia, in dioecesi Messana, *Abbatis* cognomen tulit, plerumque tamen addito epitheto, *novi* sive *recentioris* aut *Siculi,* ad antiquioris alterius abbatis distinctionem; ab archiepiscopatu Panormitano autem, ad quem postea promotus fuerat, vulgo *Panormitanus* dicitur. Clericorum libertati vero hoc testimonium dat Panormitanus[3]): „Ulterius quaeritur, *quid in saeculari clerico? Numquid potest intrare in religionem, non petita licentia ab episcopo?*“ Et

[1]) Phillips, loc. cit., p. 325.
[2]) Cfr. etiam R. ad I.
[3]) In cap. 18. de regularibus cit.

postquam quaestionis positae *affirmativam* solutionem Innocentii retulit ac probavit, ejusdem quoque exceptionem memorat in hunc modum: „*Sed si ecclesia graviter*[1]) *laederetur, esset revocandus clericus.*“ Ex quibus et illud habetur, *gravem jacturam ecclesiae,* ob quam Innocentius Papa clericum a religione repeti posse docet, collocandam esse in *gravi laesione* illius ecclesiae, cujus servitio clericus erat ratione beneficii adscriptus. Haec ex Abbate.

S. Antoninus, in sua *Summa,* part. III, titulo 16. „*de statu religiosorum,*“ capitulo 2. „*de ingressu ad religionem,*“ §. 2. „*de ingr. religionis quoad episcopos, archidiaconos et alios curatos,*“ haec habet: „Nota quod secundum Thomam 2—2, obligatio voti perpetui ad vacandum divinis obsequiis competit proprie episcopis et religiosis. Presbyteri autem curati et archidiaconi non obligantur voto perpetuo et solemni ad curam animarum retinendam sicut episcopi obligantur, unde episcopi praesulatum deserere non possunt absque auctoritate Romani Pontificis.“ Et paucis interjectis prosequitur Antoninus: „Unde manifestum est, quod archidiaconis, presbyteris curatis, licet ad religionem transire, *etiam episcopo contradicente*, ut XIX, q. 2., c. *Duae sunt.*“ Beneficia autem alicujus talium toto tempore probationis non debent alteri conferri, nisi de ipsius consensu.“

24. Ejusdem libertatis convertendi

Saeculo sexto decimo

praeter alios summistas, testem habemus *Sylvestrum Mozolinum de Prierio,* sacri palatii apostolici magistrum, qui in sua *Summa summarum*[2]), Leoni PP. X. inscripta, ad verbum *Religio,* II, quaestionem 8: *Religionem an intrare possint, qui sunt in dignitate vel cura,* ita omnino solvit: „Dico secundum *Panorm.*, quod cuilibet praelato citra episcopum permittitur, dimissa praelatura, religionem intrare; et secundum *s. Thomam* etiam invito episcopo hoc possunt archidiaconi et presbyteri curati; *et adde, idem*

[1]) In loco paral., c. *Licet,* de regul., n. 25. Fagnan. *enormiter*, habet.
[2]) Dicitur Summa *Sylvestrina,* quia vere est *parvula omnium frugiferarum arborum sylva,* ut ipse auctor in lemmate declarat.

esse de praepositis, decanis, archipresbyteris et omnibus inferioribus episcopo. . . . Beneficia tamen praedictorum quibus licet intrare, nulli debent conferri, nisi post professionem. . . . Fructuum autem ante professionem assignari debet debita portio alicui, qui serviat pro ingresso; reliquum vero erit ejus, ne sit onerosus monasterio; et interim remanet canonicus, curatus vel decanus, sicut prius, nec beneficium vacat."

25. Ejusdem libertatis clericorum

Saeculis XVI. XVII. et XVIII.

testes sunt quotquot probate de re canonica vel morali in scholis catholicis docuerunt. De uno alterove tantum memorasse sufficiat.

Franciscus Sylvius, doctor Duacenus († 1649), in commentario suo in secundam secundae s. Thomae, ad art. 7 quaestionis 189, postquam doctrinam angelici „*presbyteros curatos etiam contradicente episcopo, religionem ingredi posse*," rationibus confirmavit, pergit in hunc modum: „Presbyteri et archidiaconi possunt dimissa cura religionem intrare, tanquam transeuntes de statu imperfectiori ad perfectiorem. Quinimo possunt religionem etiam illam ingredi, quae in vita mere contemplativa aut potissimum in corporalibus vitae activae officiis sit occupata, quoniam plus excedit status religionis cujuscumque statum seu potius officium archidiaconi vel plebani, quam status altissimae religionis statum cujuscumque infimae."

Azorius Joannes († 1603), Institut. moral. lib. 11, c. 16, n. 3, quaerit, *an clerici in dignitate ecclesiastica constituti, vel animarum curae praefecti, vel beneficium habentes quod residentiam requirit, religionem ingredi possint?* Respondet autem cum communi doctorum catholicorum, „fas esse cuilibet ecclesiae praefecto vel clerico, praeter episcopum, deposita cura vel dignitate, aut ecclesiastico beneficio legitime ac rite abdicato, vel etiam cura et dignitate et beneficio nondum depositis religiosam vitam suscipere." Et paulo post subjungit: talium „beneficia nulli conferri jure possunt, nisi post professionem expressam vel tacitam religionis, vel nisi evidenter constiterit eos vitae institutum

mutare voluisse. Fructuum autem beneficii ante professionem emissam, justa et debita portio tribui debet vicario ejus loco suffecto et ecclesiae inservienti;" quod et ab aliis doceri supra ex Sylvestro vidimus.

His addi posset celeberrimus doctor *Bonacina*, Mediolanensis, episcopus Uticensis († 1631), qui religionem ingrediendi libertatem nominatim etiam *parochis* asserit tomo 1.

Alios auctores vide apud *Schmalzgrueber* in tit. 31, de regularibus et transeuntibus ad religionem.

26. Cum *Schmalzgrueber* jam devenimus ad aetatem immortalis Benedicti PP. XIV., qui et ipse clericorum juris et libertatis religiosam vitam amplectendi

Saeculo decimo octavo

et testis publicus et propugnator invictus existit. Patet quidem hujus Pontificis sententia ex iis quae allata superius sunt ex ejus constitutione *„Ex quo,"* edita die 14. Januar. 1747; sed ne manca sit vel imperfecta monumentorum series, quae ad thesim probandam enumerari coepta sunt, etiam hujus scripti brevem conspectum exhibebimus.

Initio ergo narrat Pontifex, *quum Leander Chizzola, archidiaconus ecclesiae cathedralis Brixiensis, ex improviso isthinc digressus, Bononiam se contulisset ibique habitum suscepisset clerici regularis Societatis Jesu, a cardinali Quirino datas fuisse literas ad Sedem Apostolicam, quibus quereretur, Leandrum tanti momenti consilium inconsulto ordinario cepisse, illoque penitus inscio ad exitum deduxisse; non sine magno detrimento pauperum istius civitatis atque dioecesis, quibus largiter subvenire, multorumque piorum operum, quibus se jugiter exercere consuevisset, suorum quoque nepotum, in minori aetate constitutorum, quorum cura atque educatio ad ipsum spectasset, ac sine spe quidquam utiliter peragendi in ipsa societate Jesu, cui jam prope septuagenarius nomen dedisset.*

Haec eadem, narrare Pontifex pergit, *praedictum cardinalem, cum in Urbem advenisset, Sedi Apostolicae etiam coram inculcare non omisisse, deque iisdem in posteriori epistola Romam missa, ac typis vulgata, iterum expostulasse,*

petendo praeterea et summum ecclesiae pastorem excitando, ut auctoritatis suae ope, certaque lege proposita hujusmodi licentiam reprimeret, qua saeculares clerici atque presbyteri ad regularium claustra pro lubitu se conferentes, a regularibus superioribus illico recipiantur, quum id sane non aliter fieri debeat, quam communicatis consiliis cum episcopis ipsorum clericorum seu presbyterorum ordinariis, siquidem ipsi episcopi nunquam regularibus viris ordines conferant sine praelatorum regularium consensu, in eorum literis dimissorialibus declarato.

Controversia quam cardinalis Brixiensis de libertate clericorum religionem ingrediendi moverat, ita breviter proposita, simulque Pontificiae constitutionis edendae declarata occasione, Benedictus postulatum cardinalis in duas partes dividit, de utraque dein ex ordine disputaturus.

Duae sunt res, inquit Pontifex, in hoc universo negotio expendendae, peculiare scilicet factum Leandri, archidiaconi, et generale constitutum, quod a nobis fieri et publicari velles[1]).

Ad primum quod attinet, aptiorem querelis tuis responsionem comparare non possumus, quam si eadem ipsa tibi rescribamus, quae olim sanctus Gregorius Magnus, praedecessor noster, Desiderio episcopo Viennensi in Gallia, in simili prorsus casu rescripsit.

Post haec Benedictus de facto Pancratii, diaconi, in monasterio conversi, deque Gregorii responsione ad Desiderium data memorat; illam responsionem puto, qua clericis libertatem convertendi ita asserit, ut episcopum moneat, diaconum religionem professurum non solum e monasterio non esse avellendum, sed potius in sua vocatione confirmandum; tum subnexis de obedientia canonica observationibus quas supra retulimus, in hunc modum prosequitur:

„Non itaque dubitamus, quin tu cum archidiacono tuo eadem plane ratione agendum tibi esse ducas, qua episcopum Viennensem cum diacono suo Pancratio agere, sanctus Gregorius optavit.

---

[1]) Constitutio *Ex quo* dirigitur ad ipsum cardin. Quirinum.

„Unum tamen, quod tibi praesenti antea diximus, nunc etiam scripto iterandum censemus, non scilicet debitae erga te observantiae defectui tribuendum esse, quod praedictus archidiaconus tuus ante discessum opportunam abs te veniam minime requisierit; sed potius metui reverentiali, quem vocant, ac desiderio propositi sui reipsa exequendi, justoque timori, ne forte ab ejus implemento revocaretur. Qua ratione b. mem. Ardicinus cardinalis de Porta, in quadam epistola ad praedecessorem nostrum Innocentium Papam VIII. conscripta, suum factum excusat, quod scilicet ad eremiticam vitam inter Camaldulenses profitendam conferre se volens, cardinalatus habitum exutus, clanculo ex Urbe se subduxerit[1])."

Atque haec de prima quaestionis parte. „Quod vero ad alteram attinet, ad generalem scilicet legem quam pro similibus casibus a nobis constitui postulas: hoc tibi respondere posse arbitramur, *satis huic rei in ecclesiasticis canonibus provisum esse.*"

Prolatis deinde ad hanc generalem assertionem libertatis — quam theseos instar posuit — declarandam ac confirmandam tum canonicis sanctionibus in Causa XIX. Decreti contentis, tum doctrinis ss. Thomae Aquinatis et Antonini Florentini, tum sententiis Sylvii Duaceni hanc clericorum libertatem convertendi etiam ad ordines vitae activae extendentis; jam de restringenda libertate agere incipit §. sequenti, libertatis limitandae et generalis constitutionis edendae necessitatem ex adversariorum mente ita exponens:

„At incidunt saepe tempora, quibus opportunum non est, clericum saecularem suum locum deserere et in religiosis claustris se abdere: qua de re nisi consultatio intercedat inter episcopum et superiorem regularem, impossibile erit, quid expediat agnoscere. Durum autem omnino est, virum ecclesiasticum, qui in suscipiendo presbyterii ordine conceptis verbis episcopo suo reverentiam et obedientiam spopondit, quoties ipsi libuerit, episcopo in-

[1]) De Ardicino della Porta, juniore, cardinali et Olomucensis ecclesiae administratore († 1493) confer, quae post alios scripsit Moroni, *Dizionario*, t. 54., pp. 153—154.

consulto atque inscio, ad regularia castra discedere ac regularis instituti servitio perpetuo se mancipare."

Ad quae doctissimus Papa respondens: „Equidem fatemur, inquit, non omni tempore omnibus opportunum esse, regularem vitam amplecti." Enumeratis autem tribus, quae praestare videntur, casibus, videlicet extraordinariae necessitatis ecclesiae, paupertatis parentum et obedientiae canonicae, *cujus vigore presbyter, inter alias, adstrictus tenetur, ut a servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuit, discedere nequeat sine licentia episcopi*: nihilominus concludit, novam legem non esse ferendam, disputationem ita prosequens: „Verum tamen, *his omnibus non obstantibus*, iterum dicimus, novam generalem legem hac de re minime necessariam nobis videri: vel quia in ecclesiasticis sanctionibus, quodcunque necessarium est, satis constitutum habemus, vel quia, si quid adhuc ordinandum superest, id pro generalis constitutionis subjecto haberi non potest.

„Tria siquidem sunt, quae in hujusmodi casibus considerari possunt: primum videlicet, *an presbyter ab ecclesiae servitio ad regularia claustra transiturus permissionem ab episcopo petere debeat:* secundum, *quid ipsi faciendum, si episcopus dissentiat:* tertium, *quid statuendum sit de parochia seu canonicatu aut archidiaconatu, quem presbyter obtinebat.*

„Verum haec omnia jam sacri canones considerarunt, atque opportunas pro singulis capitibus regulas praescripserunt.

„Quod enim pertinet ad *episcopi permissum*, nemo dubitat, quin presbyter, ecclesiae regimen aut ministerium dimissurus, ante omnia debeat episcopo consilium suum ejusque capiendi rationes, *quantum earum natura fert*, aperire. In quo non tam officio et honestati, quam naturalis legis praecepto satisfaciet. Quum enim presbyteri, in animarum cura aliisque gravibus muneribus ad pastorale regimen spectantibus, episcopi ministri sint: ita cum eo se gerere debent, ut is animarum, quas ipsi regebant et negotiorum, quae administrabant, necessitatibus opportune consulere valeat.

„Haec autem permissio vel ab episcopo conceditur vel negatur. Si concedatur, jam controversiae locus non

erit. Sin vero denegetur, *hujusmodi dissensus ex auctoritatibus superius citatis presbyterum non adstringet, quominus religionem ingredi valeat.*

„Neque id mirum videri debet. Si enim presbyter episcopo reverentiam et obedientiam in sua ordinatione promisit, multo solemnius regulares eam promiserunt proprio superiori in religiosa votorum professione. Et tamen quoties regularis in ordine laxiori professus ad strictiorem transire cupit, tenetur quidem a superiore laxioris licentiam petere: verumtamen ea sibi denegata nihilominus ad strictiorem libere transire potest, ut expresse statuitur in cap. *Licet,* de regularibus.

„Denique de *beneficiorum vacatione* in jure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in religionem, sed per professionem regularem duntaxat, quemadmodum videre est in cap. *Beneficium,* de regular. in 6.“

Quod autem spectat ad cardinalis petitionem, ut Pontifex generali lege praescriberet *consultationem inter episcopum et superiorem regularem instituendam,* eam Benedictus ita rejicit:

„Ut specialis legis mandato hujusmodi consultatio tanquam necessaria praecipiatur, in eo non modica est difficultas. Neque enim in jure cautum reperitur, ut duorum ordinum, laxioris atque strictioris, superiores inter se convenire debeant, quoties aliquis in illo professus, ad hunc transire velit; sed solum, ubi inter praefatos superiores oriatur controversia, an hujusmodi transitus ex laudabili causa, vel potius ex animi levitate et inconstantia suscipiatur, ecclesiasticae leges superioris majoris judicium requiri voluerunt, cap. *Licet,* de regular.“

Quibus ita explicatis, *opus non esse nova constitutione,* Benedictus ad extremum infert, leviter insuper jus illud attingens, quod episcopo eo in casu in clericum suum competere jurisconsulti docent, quo ex ejus ad religionem transitu *ecclesia graviter laederetur*[1]).

Quod ergo ad jus attinet, quo episcopus clericum saecularem sibi subjectum, qui regulari instituto sine ipsius assensu nomen dedit, repetere et ad ecclesiae servitium

[1]) Cfr. Abbas, loc. cit.

revocare potest, siquidem prima ecclesia ex clerici transitu *gravem sustineret jacturam*[1]), Summus Pontifex cardinalem Quirinum solerter monet *hujusmodi juris persecutionem in casibus particularibus non admodum facilem esse,* eo quod clericus etiam in hac causa tueri se valide possit hac una exceptione adducta, quod inter illos *„plerosque sit, qui nisi omnia reliquerint, secundum sanctum Gregorium salvari apud Deum nullatenus possunt,“* prout supra retulimus. Rationem vero, ob quam Gregorii sententia a clericis beneficiatis, parochis, canonicis, archidiaconis aliisque in commutanda vita saeculari cum statu religioso contra episcopum, ipsos e monasterio revocantem, allegari possit, in eo reponit Papa, quod Suarii doctrina *negari nequeat:* nimirum *„praelationis munus seu statum minus securum esse; religionis vero esse statum majoris securitatis in ordine ad spiritualem salutem*[2]).“

Pontificiam constitutionem Benedicti Papae XIV. *„Ex quo,“* sic breviter exposuisse ac contraxisse sufficiat: unum tamen restat, quod addititie non animadverti non potest, Summum Pontificem Benedictum XIV. scilicet caeteris legislatoribus ecclesiasticis plane consentire, non solum in asserenda clericis libertate religionem ingrediendi, sed etiam in afferenda ratione hujus libertatis tutandae, ut puta, quum clericis saecularibus liberum ad religiosa claustra aditum ideo vindicat, vel quod *propter solemnia vota religiosa plus excedat status religionis cujuscunque statum seu potius officium* archidiaconi, plebani aliorumve curatorum, *quam status altissimae religionis statum cujuscunque infimae*[3]), vel quod *religionis status majoris sit securitatis in ordine ad spiritualem salutem*[4]). Ex ipsa quippe natura status religiosi atque ex obvio ejus ac prope necessario nexu cum bonis spiritualibus legis rationem derivat, quod a caeteris fieri in disputationis decursu probavimus.

[1]) Innocent. IV., loc. cit.
[2]) *De Religione,* l. 1., c. 21. Notandum autem, Suarez praecipue de animarum cura loqui.
[3]) § *Et quoniam alicui.*
[4]) § *Hujus tamen juris.*

27. Ejusdem libertatis convertendi clericis assertae post Benedictum PP. XIV. adhuc unum eumque locupletissimum testem producimus, nempe ecclesiae doctorem *s. Alphonsum de Ligorio.*

Sanctus hic patriarcha, postquam diversas quaestiones de transitu ex una religione in aliam, in suis observationibus ad P. Busenbaum, excussit, ita de nostra controversia scribere pergit lib. 4., n. 74:

„Hic plures utiles quaestiones adnectere oportet.

„Quaeritur I. *An parochus possit licite religionem ingredi contradicente episcopo?* Omnino affirmandum ex cap. *Duae sunt* 19, q. 2. . . . Rationem autem hujus sanctionis dat d. Thom. 2—2, q. 189, art. 7, dicens: *Obligatio voti perpetui* etc. Deinde s. Thom. ad 2. d. art. 8. affert textum *d. Hieronymi* ad Vigilantium sic dicentis: „Tu dicis, si omnes se clauserint, quis sacculares homines lucrifaciet? Quis peccantes ad virtutes poterit exhortari?“ Respondet s. Hieronymus: „Rara est virtus, nec a pluribus appetitur.“

„Quaeritur II. *Quid dicendum de clericis aut aliis beneficiatis non curatis?*

„Respondeo: Quamvis isti ex officio et honestate teneantur suos episcopos certiorare de suo religionem ingrediendi proposito, non peccant tamen, ut declarat N. SS. Benedict. XIV. in sua bulla, quae incipit: „*Ex quo dilectus,*“ si id omittant ob *metum reverentialem*, ne forte ab ejus desiderii implemento revocentur.

„*Certum* autem *est*, non posse episcopos impedire suos clericos, ne religionem ingrediantur, ut habetur in cap. *Clerici* 19, q. 1. . . . Hunc et consimiles canones laudat et approbat praefatus N. Pontifex; nec non affirmat, id non tantum intelligi de religionibus vitae contemplativae, sed etiam activae.

„Declarat tamen, quod episcopus bene posset revocare suum clericum a religione, si ejus ingressus *gravi detrimento* esset ecclesiae, cui erat addictus. . . . Caeterum quum accidisset casus, quod archidiaconus quidam ad Societatem Jesu transiisset, et eminentissimus cardinalis Quirinus, conquerens, quod *se invito* hoc fecisset, integro libello typis edito contendebat, ut Papa declararet clericos

non posse sine episcopi licentia religionem ingredi: Noster Pontifex respondit . . ., tales clericos nedum a suo proposito non esse impediendos, sed potius ad perseverantiam hortandos et confirmandos." Nimirum tota decisio sancti Alphonsi doctrinam Benedicti PP. XIV. prorsus resonat.

28. Et isti quidem sunt auctores gravissimi — qui iidem et testes certissimi, — quibus utimur ad liberum clericorum jus probandum. Iis autem planum fieri confidimus, libertatem religionem capessendi clericis ita esse a legislatoribus ecclesiasticis perpetuo assertam, ut vel ex ipsis rationibus statuendae legis, in ecclesiasticis monumentis a Pontificibus allatis, appareat, *eam non potuisse non asseri.* Quum ergo soluta quaestio sit per canonica statuta, adversariorum objectiones silentio praetermittere possemus; quod enim in jure reperitur decisum, id difficultatibus obstructum non est. Ast, quoniam in allatis documentis nominatim duobus adversariis incidimus, qui libero clericorum juri difficultatem afferebant, placuit et ipsis seorsis scrupulum eximere.

29. Prior ergo, qui gravari coepit, est cardinalis *Quirinus,* qui libertatem clericorum ad religiosa claustra transeundi *etiam contradicente episcopo* sociari non posse contendit cum *obedientia canonica* in ordinatione promissa; alter vero, qui magnam dubitationem de eadem libertate habuit, est *Vigilantius,* haereticus homo, si Hieronymum audis, *imperitus et verbis et scientia, et sermone inconditus;* is enim vereri se dixit, ne, si omnes clerici jure suo uterentur, amplius in saeculo sit, „*qui saeculares homines lucrifaciat, et peccantes ad virtutem cohortetur.*" Quamvis enim alteri Benedictus PP. XIV., alteri vero s. Hieronymus, et ex eo doctor angelicus, satisfecerit; tamen non abs re fuerit, eorum responsiones quasi relegendo hic breviter iterare.

Ex responsione Papae autem nanciscemur occasionem ulterius disserendi de *obedientia canonica episcopo in ordinatione promissa,* deque *licentia ab episcopo petenda*; sanctum Thomam vero adeo a Vigilantio dissidentem videbimus, ut potius timeat, ne non intrent in religionem, qui vocati omnino sunt, quantumvis omnibus sit asserta convertendi libertas.

30. Quod ad *obedientiam canonicam* quidem, quam clerici episcopo suo in ordinatione devovent, indubiis monumentis edocemur, ab illis ipsis Pontificibus, qui clericorum libertatem propugnarunt, adeo nihil fuisse de jure episcoporum detractum, ut illud potius quavis oblata occasione fortiter defenderint; quum ergo non obstante obedientia canonica ex ordinatione manante, clericis libertatem ad claustra religiosa transeundi vindicarint, inferendum necessario est, summis ecclesiae legislatoribus persuasum fuisse, obedientiae debitum ad eum casum non extendi, quo quis *afflatus Spiritu Sancto in aliquo monasterio vel regulari canonia salvare se velit.*

Singula sunt ex ordine declaranda.

Doctissimus Ludovicus Thomassinus in celeberrimo suo opere *de vet. et nov. ecclesiae disciplina*, de beneficiis part. II. l. 1., (c. 3. „*Clerici episcopo suo adstringebantur ordinatione magis, quam origine vel domicilio saec. VI. et VII.*," et c. 4. „*Ordinatio clericos prorsus omnes episcopo et ecclesiae adglutinabat*"), testimoniis undique conspirantibus probat, aetate s. Gregorii M. clericos ex vigenti tunc disciplina ita fuisse episcopo ordinatori subjectos per omnia, ut ex ordinatione nobilissimum quoddam *servitutis* genus existeret, quo clerici, et episcopo eos ordinanti, tanquam *homines proprii* perpetuo manciparentur, et ecclesiae servitio indissolubili vinculo adstringerentur[1]); atque hinc statutum fuisse, probare Thomassinus pergit[2]), tum ut clerici ab uno episcopo semel ordinari coepti, jam ab alio donari non possent sive ordine quolibet sive beneficio, tum ut iidem ecclesiae ministeriis jugiter adhaerere ac stabiliter in iisdem residere deberent. Et hae quidem *leges obedientiae* sunt, quae tempore s. Gregorii Papae communiter vigebant.

Atqui s. Gregorii testimoniis liquet, ipsum de hoc episcoporum jure, quo iidem suae ordinationis clericos non aliter habuerunt sibique vindicarunt, quam ut *sibi proprios et perpetuo devotos homines*, non solum nihil deminuisse, sed potius, ubi tulisset occasio, vigilanter propugnasse.

[1]) Loc. cit., c. 3., n. 5.
[2]) Loc. cit., c. 4., n. 2 et 5.

Supra jam vidimus ex Benedicto PP. XIV., sanctum Gregorium, cum optasset Joannem, archidiaconum Catanensem, ad episcopatum Syracusanum promoveri, inter alia tamen requisivisse, ut assentiretur Catanensis episcopus nexumque relaxaret, quo sibi archidiaconus obligaretur[1]).

Aliud testimonium huic parallelum occurrit lib. 14., epist. 11. Quum nempe ageretur de Florentio, archidiacono ecclesiae Ravennatis, in episcopum Anconitanum eligendo, Gregorius monuit, requirendum primo esse assensum antistitis Ravennatis: „*Apud episcopum ejus* — inquiens — *agi necesse est, ut ei debeat cessionem concedere, non tamen ex nostro mandato vel edicto, ne contra suam voluntatem eum cedere videatur*[2]). Huc deinde facit epistola 38. lib. 5., ad Eliam, presbyterum et Isauriae abbatem directa[3]), in qua Gregorius aperte significat, strictam illam obedientiam clericorum erga episcopum ex ipsa ordinatione derivari. Elias scilicet Epiphanium, discipulum suum, Romam miserat, *ut ad sacrum ordinem proveheretur sibique remitteretur.* Papa diaconum quidem illum ordinavit, sed ad Eliam rescripsit novum diaconum hoc sacro ordine veluti inviolabili vinculo Romanae ecclesiae jam esse illigatum. *In uno vos audivimus*, sic habet epistola Gregorii, *in altero autem minime audire potuimus. Diaconus quidem factus est; sed quisquis semel in hac ecclesia ordinem sacrum acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet.* Et paulo inferius subdit: *Praefatum Epiphanium diaconum quia huic ecclesiae diaconatu interveniente ligavimus, sanctitatem tuam non debet contristare quod sancto Petro, etc.*

Hinc, devastata ecclesia cui in ordinatione adscriptus fuerat clericus, eum ad aliam transferendi facultatem ideo tribuit, quod hostes terram invasissent et clerico nec ecclesia superesset ulla, nec episcopus. Sic Gratianum, Venafranae ecclesiae diaconum, Neapolitanae incardinari permittit[4]), „*quoniam nec episcopum cui obsecundare, nec*

---

[1]) Lib. 5, ep. 17.
[2]) Edit. Migne, p. 1313.
[3]) Edit. Migne, p. 762. Habetur apud Gratian. c. 122, C. 1. q. 1.
[4]) Lib. 6., ep. 11, et habetur apud Grat., c. 5., dist. 72.

propriam habet ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere.“

S. Gregorius ergo canonicae obedientiae leges non solum non ignoravit, sed imo maximi fecit et per omnem occasionem diligenter defendit. Nihilominus tamen et pro clericis vigilavit, ut integra ipsis sarta tectaque servaretur convertendi libertas; unde concludamus oportet, canonicae atque ex ordinatione manantis obedientiae amplitudinem ita esse ex sacris canonibus dimetiendam, ut semper casus censeatur exceptus, quo quis *Spiritu Dei actus ejusque lege ductus*[1]), religiosam vitam amplecti velit; *canonica* quippe dicitur, quia ordinatus eam non absolute, sed ad terminos sacrorum canonum promisit.

31. Quemadmodum obedientiae canonicae non subtraxit Gregorius M., licet clericis liberum monasteriorum aditum contra episcopos vindicaret: ita nec infringi ejusdem obedientiae vim passus est Benedictus PP. XIV., quamvis clericorum jus contra cardinalem Quirinum defenderet. Eminentissimo praesuli promissionis sacramentum obtendenti Papa respondet: „De reverentia quoque et obedientia, quam non modo sacerdos, sed quilibet etiam clericus proprio episcopo praestare debet, justam profecto opinionem fovemus. De hujusmodi obedientia agitur in C. *Quum clerici*, de verb. signific., ubi Innocentius PP. III. . . . docet . . . eum qui praestat ejusmodi juramentum, episcopo tanquam capiti principaliter obligari[2]).

„Neque porro Nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus episcopi ordinantis, juxta vetustissimum Ecclesiae morem, ante mille annos indubitanter servatum; ut ex antiquis ritualibus colligitur, quae expendit Catalanus ad Pontificale Romanum[3]).

„Quinimo libenter agnoscimus, presbyterum hujusmodi promissionis vigore . . . adstrictum teneri, ut a servitio

[1]) C. XIV, q. 2.
[2]) Bulla *Ex quo*.
[3]) Tom. 1., p. 149, in notis ad § 29.

ecclesiae . . . discedere nequeat sine licentia episcopi; id quod optimis rationibus demonstrat Hallier[1]), qui docte graviterque repellit auctorem cujusdam libelli gallico sermone editi, qui hujusmodi reverentiam et obedientiam in ordinatione promissam angustis nimium limitibus coercere tentaverat."

Verumtamen, his omnibus non obstantibus, Benedictus PP. XIV. infert, per denegatam ab episcopo licentiam *presbyterum non adstringi, quominus religionem ingredi valeat,* quod manifesto signo est, ex mente ipsorum Pontificum legislatorum ita intelligendam obedientiae legem esse, ut casus, quo clericus religionem ingredi velit, semper judicetur exceptus, illud nempe flagitante ipsa religionis natura.

Et sub hac quidem restrictione obedientiam episcopo ordinatori in ordinatione voveri Summi Pontifices voluerunt.

32. Ast eandem obedientiae legem non aliter esse interpretandam, etiamsi episcopus propter immemorialem, quam obtenderet, consuetudinem, imperiose exigeret, ut clerici per promissam in ordinatione obedientiam se adstringerent ad manendum in saeculo, donec ipsi placuerit licentiam concedere[2]), *argumento,* ut vocant, *a fortiori* potest ostendi; argumento scilicet, quod juxta Benedictum PP. XIV., legitime desumitur ex libertate transeundi ad religionem strictiorem, iis etiam asserta, qui vel religionem privilegiatam professi sunt, vel alias se ad manendum in priori religione obligarunt.

Et quoniam haec neotericis quibusdam jurisconsultis durius affirmari videntur, ad eorum confirmationem provocare placet ad celeberrimum juris interpretem Prosperum Fagnanum, *virum* — ipso fatente Doujat[3]) — *perspicaci inter caecitatis incommoda ingenio, qui jus commune erudite omnino exposuit:* ipse vero hanc quaestionem ex communi doctorum sententia solvit.

[1]) *De sacr. elect. et ordin.,* p. 1., sect. 6, § 12.
[2]) Quod non multis abhinc annis in aliqua dioecesi Austriae factum esse rescivimus.
[3]) *Praenot. canon.,* l. V, c. 9.

Fagnanus ergo in c. *Licet*, de regular. cit. haec habet: „Potest religiosus zelo sanctioris vitae ad religionem transire strictiorem, etiamsi primum monasterium sit privilegiatum, quod de illo ad aliud, etiam arctius, transire non possit.

„Nota I, indultum aliquibus religionibus concessum, quod professi apud eas transire non possint ad religionem arctiorem, ita esse temperandum, ut intelligatur, si transitus fiat ex temeritate, vel levitate; secus vero, si zelo perfectioris vitae, gl. *hic in verb.* Si velit *discrete* transire, non obstante privilegio transire poterit, et concordant Host. et Joan. Andr., etc.

„Similis interpretatio fit in juramento, quod ubi prohibetur, temerarium tantum intelligitur prohibitum. c. *Ergo* 22, *q.* 1. *Gloss. ubi supra et* Host.

„Rationes, cur hoc privilegium ita sit temperatum, habes in *litera*[1]), nempe quia *ubi Spiritus Dei est, ibi libertas, et qui Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege:* quia lex non est posita justo, et lex privata, i. e., inspiratio divina, et lex conscientiae praejudicat legi publicae, i. e., communi.

„Nota II, sufficere licentiam superioris petitam, licet non obtentam . . .; et hanc esse veram et indubitatam conclusionem *omnium plane doctorum . . ., et tunc* religiosus ad arctiorem transire poterit propria auctoritate: Innoc., Hostien., Joan. Andr., vel potius auctoritate Spiritus Sancti, ut idem Host. ait n. 15; et ita hoc videtur licere jure divino naturali, quo licitum est, votum proprium commutare in melius.

„Et hinc solvitur objectum, quod saepe propter bonum obedientiae omittatur, quod alias esset bonum C. *Quod culpatur* 23, *q.* 1.

„Nam, ut formaliter respondit Hostien. hic n. 11, talis auctoritate hujus capitis est absolutus; quinimo *a Spiritu Sancto intelligitur absolutus a licentia impetranda,* qui ei spirat ut transeat: ergo ei tanquam superiori obediendum est. C. *Qui resistit* 11, *q.* 3.

---

[1]) Id est in ipso textu capitis *Licet.*

„Nota III, de jure teneri praelatum regularem sine difficultate indulgere subdito licentiam, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum, ut in litera[1])." Hactenus Fagnanus de libertate religiosorum, *etiam religionis privilegiatae*, transeundi ad strictiorem, *non obstante obedientia in professione solemniter promissa.*

Atqui ex Benedicto Papa XIV., quae religiosis conceditur ad arctiorem ordinem transeundi libertas, ea *a fortiori* asserenda clericis est quoad ipsum ingressum in religionem. *Regulares* enim *obedientiam multo solemnius promiserunt proprio superiori in religiosa votorum professione, quam presbyteri episcopo in sua ordinatione*[2]); ergo etiam clerici *auctoritate cap. Licet* et *Papae Benedicti XIV., absoluti sunt, quinimo a Spiritu Sancto intelliguntur absoluti,* non obstante vel *privilegio,* si quod obtenderet episcopus, vel consuetudine, si qua allegaretur: intolerabilibus corruptelis enim talis consuetudo procul dubio accensenda esset.

Ex quibus omnibus colligendum est, obedientiam canonicam in ordinatione utcunque promissam, non obstare quominus clericus saecularis, religiosae vitae cupidus, acquirendae perfectionis statum amplecti valeat, *etiam contradicente episcopo ordinatore.*

---

[1]) Praelatus tenetur licentiam juste petentibus concedere; quare si neget, injustitiam facit; nam talis licentia non pendet ab ejus libera voluntate, sed ex boni justique viri arbitrio; et ita, si injuste denegetur, pro concessa habetur. Cf. Gonzalez in cap. cit. n. 8.

[2]) Bulla *Ex quo,* § Haec autem. *Major etenim,* ait Card. de Luca, *reputatur subjectio et obedientia religiosi erga abbatem vel alios superiores ordinis, quam sit illa, ad quam tenentur clerici saeculares erga proprium episcopum.* (*De regularibus,* discursu 21, n. 4, § Et generaliter). Nimirum propter *potestatem dominativam* superioris religiosi in suos subditos fit, ut *status religionis reputetur status verae servitutis, distinctus tum a statu subjectionis, qui ex vi ecclesiasticae jurisdictionis generatim exurgit* (Suar., *de Religione,* tom. 3., l. 2., c. 18), tum speciatim ab illo genere subjectionis, quod — ex ordinatione manans — antiqui etiam *servitutis* appellatione designabant. (Juxta Thomassin. cit. sup., n. 30). Cfr. etiam Fagnan. in c. *Ad aures,* 5, de temp. ordinat. (I, 11), n. 18.

Et haec de clerico religionem suscipiente *non obtenta licentia* ordinarii.

33. Sed quaeri ulterius potest, an forte licentiam saltem *petere* ab episcopo debeat, quemadmodum licentiae a superiori petendae lege tenentur religiosi, si zelo perfectioris vitae moti et divina inspiratione ducti strictiorem religionem appetunt.

Huic quaesito ut perspicue satisfiat, praemonenda nonnulla ex jure sunt de variis licentiae ordinibus.

Triplex itaque *licentiae species* distingui potest. Et *prima* quidem ea est, quae necessario requiritur ad actum celebrandum; et de hac affirmari utique debet, non sufficere eam petere, nisi simul fuerit concessa. Clarum exemplum ponam ex corpore juris, cap. *Religiosus* 2 de testament. in 6 (III, 11). Bonifacius PP. VIII. statuit, ut regularis officium executoris testamenti „suscipere vel exequi non valeat, nisi a superiore suo petita super hoc licentia *et obtenta*.“ Hinc et aliud non minus illustre adjungam ex concilio Tridentino, quod habetur *sess.* 5., *c.* 2 *de reform.* et explicatur pluribus decretis s. Congregat. Concilii, capiti secundo in editione Richteriana subnexis. (pp. 22—23). Regulares cujuscumque ordinis scilicet in ecclesiis suorum ordinum praedicare non possunt, *nisi obtenta* ad id suorum superiorum *licentia*; in ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, ultra licentiam superiorum etiam episcopi licentia ita requiritur, ut sine ea nullo modo praedicare possint. Cf. etiam Luc. Ferraris ad verb. *Praedicare* a n. 63 ad n. 90.

Alterius speciei licentia ea est, quae peti quidem debet, sed tamen nullatenus exspectanda est ut actus ponatur, quantumvis *licentia* proprie appelletur; et ideo sufficit eam petere, licet non obtineatur; ut in similibus juris casibus contingere solet[1]). Exemplum proponitur in Cap. *Licet* de regul. ut pluribus ex Fagnano vidimus.

Tertia denique licentia ea est, quae improprie hoc nomine vocatur, quaeque in eo consistit, ut opus aliquod aggressurus consilii tui significationem superiori des, idque

[1]) Cap. *Quum olim super*, 7, *de arbitrio* (1, 43).

vel in signum reverentiae ac canonicae majoritatis ipsi debitae, vel etiam ob quemcunque alium honestum ac rationabilem finem. Hac ratione accepta licentiae vox tantundem fere valet quod *benedictionis* nomen, quando scilicet in statutis ecclesiasticis a licentia ita secernitur, ut etiam hac non obtenta actus celebrari possit[1]). Exemplo rem declarabo. In pluribus religiosorum familiis more receptum est, ut religiosi, antequam cibum sumunt vel cubitum eunt, edendi vel dormiendi licentiam a superiore petant, ad fovendum nempe paupertatis et obedientiae spiritum[2]). Aliud exemplum hujus licentiae seu *benedictionis* profertur in decretis Apostolicis Clementis Papae X.[3]) et aliorum Pontificum quae referuntur ad *benedictionem*, quam Regulares, in propriis ecclesiis praedicare volentes, petere ab episcopo debent, de quo vide cap. 2 cit. sess. 5 Conc. Tridentini. Regulares in ecclesiis suorum ordinum tenentur quidem petere episcopi benedictionem, sed „*praedicare tamen possunt, quamvis illam non obtinuerint*“, ut expresse docet Clemens Papa in praedicta sua constitutione *Superna*. Et quoniam Conc. Trident. sess. 24, cap. 4 *de reformat.* sanxerat, ut *nullus saecularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo praedicare praesumeret*, idcirco Clemens X. subjungit *episcopum absque*

---

[1]) Hanc licentiae speciem dici *benedictionem* posse ex eo patet, quod sancti Patres vel ipsam licentiam proprio ac stricto sensu acceptam, *benedictionis* nomine vocent. Sic s. Gregorius M. clericos, qui absque debita licentia *ausu temerario ab Urbe discesserant, sine sua benedictione discessisse Mariniano narrat*, epist. 29, lib. 6 (apud Migne, Patr. lat., t. 77., p. 821.)

[2]) Ita sanctus Columbanus († 615), plurimorum pater monachorum, in *Regula* sua *coenobiali* praescripsit (cap. 10. *de diversitate culparum*), ut religiosi minorem oeconomum, rei domesticae in claustro monasterii invigilantem, *initio diei commutationem vestimenti*, et *alteram in nocte interrogarent separatim.* (Cfr. S. Col., *Relig. Coenob.*, loc. cit., edit. Migne, t. 80, p. 320). Monachi quippe aliam noctu vestem habebant, aliam vero in die: ast diurnam mane non resumebant *nisi petita id faciendi licentia.* (Cfr. etiam Fleury, *Hist. ecclés.*, l. 35., §. 10).

[3]) Bulla Clem. PP. X., *Superna magni patris familias*, d. d. XI. Kal. Jun. a. 1670. Habetur in magno Bullario Romano, edit. Luxemburg. t. 6., p. 305 sq.

justa et rationabili causa contradicere non debere[1]). Hinc s. Congregatio Concilii decreto 27. Novembris anni 1694 reformavit canonem 2. synodi ab episcopo Meliten. celebratae, sic habentem: „*Si regulares praedicare velint in suis ecclesiis, teneantur prius ab episcopo benedictionem petere et petitam obtinere*[2])."

34. Hisce generatim de *licentia* praemissis, allatam distinctionem jam ad casum nostrum transferamus.

Primo quidem ex universa disputatione hactenus habita liquido constat, primam licentiae speciem non requiri.

Secundo etiam certum est, sententiam illorum paucorum doctorum[3]), *qui petendam esse licentiam asserunt,* quamvis ea *denegata ad religionem transire clerici possint,* omnino rejiciendam esse, quia nullo jure probatur. Isti doctores enim in eam partem ducuntur auctoritate saepius citati capitis *Licet,* de regul., et cap. *Admonet,* de renunt. Atqui ex neutro textu haec obligatio licentiam ab episcopo petendi eruitur.

Non eruitur 1° ex cap. *Licet,* quia caput illud de solis religiosis transeuntibus ad strictiorem religionem loquitur, deque iis solis statuit, eam licentiam petendam esse, quamvis transitus fieri possit etiam licentia non obtenta. Ergo textus laudati capitis non est ad rem; et confirmatur ex eo, quod alias episcopo potestas competeret tum examinandi, an clerici religionem ingredi volentes, bono zelo ducantur, tum eo deficiente, licentiam denegandi, sicut in religiosis ad strictiorem ordinem transituris contingit[4]).

Non eruitur 2° ex cap. *Admonet,* 4, de renuntiatione (I, 9); quamvis enim ecclesiarum et beneficiorum demissionem litera prohibeat fieri *episcopo inconsulto*[5]), tamen

---

[1]) § 3. *Regulares.* Cfr. etiam Luc. Ferraris, loc. cit., n. 70—72.

[2]) In una Meliten., de Nicollis, *Praxis canonica,* t. 1., lit. C, § 3., n. 207 et 209.

[3]) Inter hos eminent Sylvester, ad verb. *Religio* II, q. 8, et *Azor,* loc. cit.

[4]) Cfr. Thom. Sanchez *in Praec. Decal.,* l. 6., c. 25, n. 48.

[5]) *Arg.* „Beneficiatus sine licentia praelati sui beneficio renuntiare non potest." In *litera* legitur: „Prohibeas personis tui episcopatus, ne ecclesias . . . audeant . . . *te* dimittere *inconsulto.*"

ex locis parallelis cap. *Duae CXIX, q. 2* et ex glossa in cap. *Admonet, v. inconsulto* patet, textum hujus capitis intelligendum esse de demissione extra casum ingressus religionis[1]); ergo *non est,* sic inferre cum doctore Legionensi possumus, *cur hoc onus licentiae ab Episcopo petendae clericis religionem suscepturis sit imponendum, quum jus nullius licentiae petendae mentionem fecerit*[2]). Consonat Fagnan. ad c. *Licet,* de regul., n. 28, absolute docens, *clericum saecularem posse transire ad religionem, non petita episcopi licentia.*

Accedit quod Benedictus Papa XIV., in saepe laudata sua Bulla „*Ex quo*" de *presbyteris, ecclesiae regimen aut ministerium dimissuris,* doceat, hujusmodi clericos, ad claustra religiosa transituros, *naturalis legis praecepto quidem teneri* episcopum certiorem facere eique consilium suum aperire, *ut animarum necessitatibus opportune consuli possit (§ Quod enim), sed petendae licentiae* onus religionem ingressuris nunquam imponit.

Quid quod vel ipsum nuperrimum *sacrae Congregationis super statu regularium decretum,* auctoritate Pii Papae IX. editum die 25. Januarii 1848, ab adversariis liberi clericorum transitus autem invocari jam coeptum, eandem veritatem egregie confirmat.

Summus Pontifex, regularium familiarum bono et splendori prospiciens, in ea lege superioribus pro viribus commendat, ut antequam ad religiosum habitum postulantes recipiant, de illorum vita, moribus, caeterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirant, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium aperiant. (Prooem.)

Post haec Sanctissimus loquens de iis personis, quae operam suam sociare debent cum praelatorum regularium studio ad legitimam receptionem eorum qui admitti postulant, episcopos nedum excludit ab hoc tam gravi negotio, sed illos etiam in partem ingressus religionis ita vocat, ut in posterum nullus omnino sive clericus, sive laicus sit,

[1]) Cfr. Sanchez, loc. cit., et Ferdinand. de Castro-Palao, tract. 15., disp. 1, punct. 19, n. 13.
[2]) Palao, loc. cit.

religionem suscipere sine illorum opera possit, adjectis etiam gravissimis poenarum sanctionibus. Ast pars, quam ex voluntate Pontificis episcopi habent in receptione novitiorum sibi subditorum in eo consistit, ut religionem ingressuris *literas testimoniales* scribant de qualitatibus ibidem requisitis, et ita quidem, ut ipsis *„nunquam liberum sit, hujusmodi testimoniales literas denegare*[1]*).“* Atque haec omnis pars est, quam in suorum dioecesanorum admissione in ordinem religiosum Papa episcopos attingere decrevit; caeterum sarta, tecta, integraque manente libertate clericorum, *etiam non petita episcopi licentia*, religionem amplectendi; de ea quippe nihil omnino detraxit. Quam ergo conclusionem Ferdinandus de Castro-Palao post alios ex antiquo jure effecit, eandem certissimo suo testimonio et jus novissimum comprobat.

Haec de prima atque altera licentiae specie; reliquum nunc est, ut et de *tertia* breviter dicamus.

Quaeritur ergo quandonam tertia licentia sit petenda, seu quandonam clericus, religiosam vitam appetens, episcopo consilii sui significationem dare debeat cum implicita utique ac tacita petitione *benedictionis.*

Respondeo 1°, ex Benedicto PP. XIV., clericum religionem capessiturum, *non teneri* episcopo consilium suum significare, si juste sibi timeat, ut imperturbate propositum perficere possit, hoc est, si justo timori sit locus, *ne episcopus religiosae vitae propositum attentet et clericum „ab ejus implemento revocare conetur*[2]*).“*

Si episcopus ergo alias jam presbyterum a religionis ingressu vel dehortatus esset, vel etiam, quod gravius est, deterruisset: clericus consilium suum ad religionem trans-

---

[1]) § II, *Ordinarii.* Cfr. etiam *Declarat. s. Congreg. super statu Regul. d. 1. Maji 1851,* quae sub n. 7, ita habet: *Quid agendum, si quando ordinarii nolunt dare literas testimoniales, non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui postulantis in religionem? — Resp. Ordinarios, prout in art. II. decreti* „Romani Pontifices“ *praescribitur, non posse testimoniales literas denegare; si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad s. Congregationem super statu Regularium. (Archiv für Kathol. Kirchenrecht,* an. 1863, p. 436.)

[2]) Bulla *Ex quo,* § Unum tamen.

eundi eidem aperire, Benedicto XIV. auctore, non deberet; et eo in casu *„clerici discessus* — verba sunt Pontificiae Bullae — *debitae erga episcopum observantiae defectui non esset tribuendus, sed potius metui reverentiali ac desiderio propositi sui reipsa exequendi, justoque timori, ne forte ab ejus implemento revocaretur,“* sicut aliis accidisse constare supponitur.

Ergo, si quid incommodi ex inopinato et occulto clerici discessu existat, id non clerico religionem suscepturo episcopus adscribat, verum sibi ipsi imputet; ipse namque propter timorem impedimenti contra jus fasque executioni piae inferendi effecit, ut consilii communicatio periculosa, nedum impossibilis redderetur; quin, ut ea facienda supersedere debuerit discedens, ipse coegit, ingressurum videlicet a proposito suo vel dissuasione abstracturus vel timore deterriturus. Post discessum autem episcopo liberum non est, clerico, qui hujusmodi excusatione *justi timoris* utitur, *literas testimoniales,* de quibus Pius PP. IX. in decreto supra citato, denegare.

Quod si vero hujusmodi sive impedimenti sive retardationis periculum sibi ex facienda communicatione non comparari praevideat, tunc

Respondeo 2⁰, item ex Benedicto XIV. presbyteros aliosque de clero, ecclesiae regimen vel ministerium dimissuros, *lege naturali* teneri, ante *omnia episcopo consilium suum aperire,* ut de ecclesia vel ministerio provideri opportune possit.

Quum enim presbyteri in animarum cura aliisque gravibus muneribus ad pastorale regimen spectantibus episcopi ministri sint: ita cum eo se gerere debent, ut is animarum, quas ipsi regebant, et negotiorum, quae administrabant, necessitatibus opportune consulere valeat[1]).

Cum Benedicto XIV. concordat Schmalzgrueber in c. *Licet,* de regular. n. 34, cum aliis ab ipso citatis, *„clerico beneficiario,* inquiens, *ingressuro religionem, praesertim si curatus sit, propositum hoc insinuandum est episcopo, vel saltem post ingressum denuntiandum, ut loco sui de pastore alio provideat, ne oves desertae maneant*[2])*.“*

[1]) Bulla *Ex quo,* § Quod enim.
[2]) Cf. etiam Passerin., a Benedict. XIV. laudat.

Quod Schmalzgrueber postremo hoc inciso de profectione sua episcopo per literas significanda tradit, intelligendum id est de casu, quo curatus propter *metum reverentialem*, de quo in R. 1., ante discessum propositi sui indicium dare non potuit. Neque taliter profecto episcopus testimoniales literas denegare poterit.

Quod si tandem clericis neque animarum cura, neque negotiorum administratio fuerit ab episcopo commissa,

Respondeo 3°, ad mentem constitutionis *Ex quo*, tales, quamvis nulla lege expressa obligentur ad consilium suum cum episcopo communicandum, tamen „*in eo aperiendo officio et honestati satisfacere*“ (§ Quod enim), idque nunc eo vel magis affirmari debet, quod jam recipi non valeant absque literis testimonialibus, quodque non sit cur ejusmodi literas ante discessum non postulent.

Et haec quidem habuimus quae de vi *obedientiae canonicae*, atque inde de *licentia ab episcopo petenda* nunc quum maxime diceremus.

Reliquum est ut et de altera difficultate strictim tradamus, quae nunc ipsum e re esse videntur.

35. Quod ergo Vigilantius, simulatione minime dubia usus, timere se dictitabat ex libertate illimitata ad religiosa castra transeundi, eidem s. Thomas Aquin. pro commodiori solutione formam scholasticae difficultatis induxit 2—2, q. 189, art. 7, n. 2, ita procedens:

„Quod uni licet, pari ratione omnibus similibus licet. Sed si omnes presbyteri habentes curam animarum religionem intrarent, remanerent plebes absque cura pastorum: quod esset inconveniens. Ergo videtur, quod presbyteri curati non possint licite religionem intrare.“

Antequam doctoris angelici responsionem afferamus, qua jure optimo asserit, timorem istum omnibus qui humanae vitae aliquantulum periti sint, stultum videri debere, 1° animadvertamus oportet, praelatum ecclesiasticum qui praedictam, ab impio atque haeretico homine Vigilantio jam decantatam difficultatem repeteret, parum admodum se a debita in divinam providentiam fiducia commendare. Memoriam illorum redintegret, quae olim s. Gre-

gorius Magnus Constantinopolim scripsit[1]), ut Mauritio imperatori similem metum depelleret. Causam quippe, cur milites non sint a religiosa vita capessenda avocandi, hanc pontifex affert in epistola ad Augustum directa: „*Quia tunc magis dominorum exercitus contra hostes crescit, quando Dei exercitus ad orationem creverit.*“ In epistola ad Theodorum, imperatoris archiatrum, amicum item hortatur, ut et ipse eandem hanc veritatem Augusto proponat: „*Quod si ideo serenissimus Dominus noster fecit, quia forte multi milites convertebantur, et exercitus decresceret, numquid per virtutem militum subjugavit ei Omnipotens Deus imperium Persarum. . . . Tu pro Christo loquere. . . .*“ Scilicet: eo magis saecularis clerus numero crescet ac meritis; eo prosperiori successu omnes ejus labores in vinea Domini juvabit fortunabitque Deus, quo magis ex ipso Omnipotentis exercitus ad orationem creverit.

Atque haec, puto, veritas intime penetravit in animam generosissimi cardinalis Scitovszky, Hungariae primatis, clericis suis per omnem occasionem aperte significantis, se religionem capessituris non impedimento, sed contra auxilio ad propositi sui executionem nunquam non futurum; et merito quidem persuasum sibi habet vir Eminentissimus, ita et necessitatibus saecularis cleri optime prospectum iri, Deo nimirum largiter praemia tribuente pro sacrificiis, quae de suis ipse generose ante obtulisset.

Et ista quidem animadverti ante possunt; sed hac consideratione etiam omissa

2⁰ Difficultas satis superque solvitur ex loco sancti Hieronymi, de virginitate comparata cum nuptiis agente, quem doctor angelicus huic responsioni adaptat: „*Et virginitas non erit approbanda,*“ ex Vigilantii argumentatione nempe; „*si enim virgines omnes fuerint, et nuptiae non fuerint, interibit genus humanum. Rara est virtus, nec a pluribus appetitur.*“ Patet ergo, sic concludit Aquinas, quod hic timor stultus est; puta si aliquis timeret haurire aquam, ne flumen deficeret. Ita s. Thomas loc. cit. ad 2.

[1]) Ep. 65, lib. 3., loc. cit, et ep. 66, loc. cit.

Verum Hieronymi textus cum tota orationis serie ponatur, ut, quam sententiam sancti Patris verba habeant, apertius pateat.

In admirabili illo libro ergo, quem *„unius noctis lucubratione dictavit*[1]*),“* Hieronymus, postquam plurima alia perversa dogmata refutavit, quae vesano ingenio commentus erat Vigilantius, versus finem, n. 14 et 15[2]), objectioni occurrit haeretici contra religiosam paupertatem et monachorum vitam effutientis, quod, *si in egenorum usu essent opes distribuendae, illae non semel sint effundendae, sed immo paulatim erogandae.* Adversarium autem ita repellit:

„Quod autem asserit, eos melius facere, qui utuntur rebus suis, et *paulatim* fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam illos qui, possessionibus venumdatis, semel omnia largiuntur, non a me ei, sed a Domino respondebitur: *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, naviculam et rete dimittit. Iste, quem tu laudas, secundus aut tertius gradus est, quem et nos recipimus, dummodo sciamus, prima secundis et tertiis praeferenda.“

Deinde de vita et conditione veri monachi dicere pergens ait: „Nec a suo studio monachi deterrendi sunt a te lingua viperea et morsu saevissimo de quibus argumentaris et dicis: *Si omnes se clauserint et fuerint in solitudine, quis celebrabit ecclesias? Quis saeculares homines lucrifaciet? Quis peccantes ad virtutes poterit cohortari?* Hoc enim modo, si omnes tecum fatui sint, sapiens quis esse poterit? *Et virginitas non erit approbanda. Si enim omnes virgines fuerint, nuptiae non erunt: interibit humanum genus, infantes in cunis non vagient. . . . Rara est virtus, nec a pluribus appetitur.* Atque utinam hoc omnes essent quod pauci sunt, de quibus dicitur[3]): *Multi vocati, pauci electi,* vacui essent carceres.

Jamvero quid Hieronymi verba valeant, ex toto contextu, credo, manifesto patet: comparatum videlicet sic

[1]) § fin. libri.
[2]) Apud Migne, Patr. lat. t. 2., p. 350—351.
[3]) Matth. cc. 20 et 22.

esse genus humanum, ut rarus omnino reperiatur, qui relicto saeculo vitam religiosam amplecti velit, quantumvis asserta omnibus sit convertendi libertas. Ergo ex hac parte metu caremus, ne saeculares desint, qui peccatores ad conversionem cohortentur. Quinimmo s. Thomas eundem hunc timorem, ne nimium multi religionem suscipiant, adeo non rationabilem et verum esse credit, sed inanem prorsus et falsum, ut ultimis duobus articulis ejusdem quaestionis 189 *laudabile dicat* hinc quidem (art. 9) *„alios inducere ad religionem intrandam;“* inde vero (art. 10) *„eandem ingredi absque multorum consilio et diuturna deliberatione praecedente.“* Ergo Vigilantium, cui s. Hieronymus *Dormitantii* nomen fecit, merito jubes metu vacuum esse, ut spiritualibus saecularium hominum necessitatibus, propter liberum religionis aditum, satis provisum sit.

Quibus solutionibus

3° Subjungi et illa consideratio debet, quod, dato etiam maximo clericorum saecularium ad religiosa castra transeuntium numero, nihil tamen de auxilio diminueretur, quo ante, in saeculo viventes, episcopis fuissent in procuranda aliorum salute. Etenim, post suum in religionem ingressum non ita concipiendi sunt ab omni cum saecularibus commercio separati sejunctique et veluti in ultimam quandam, ut ita dicam, profecti terram, quae immenso a reliquo mundo remota sit intervallo, tanquam si in ordine religioso a sacris ministeriis in salutem proximi exercendis abstraherentur[1]): immo sanctae matris

[1]) Doctrina erat Jansenianorum Pistoriensium, *statum regularem natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus.* — Eam vero Pius Papa VI. damnavit uti *falsam, perniciosam, in sanctissimos ecclesiae patres et praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosam, pio, vetusto, probato ecclesiae mori Summorumque Pontificum sanctionibus contrariam:* quasi monachi quos morum gravitas, et vitae ac fidei institutio sancta commendat, *non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate ecclesiae clericorum officiis aggregentur.* Ex s. Siricio, epist. ad Himer. Tarrac., c. 13. Constitut. *Auctorem fidei*, d. d. 28. August. 1794, proposit. 80. Quam definitionem

ecclesiae expressa mens est, ut regulares per episcopos non solum non arceantur a sacris ministeriis, verum etiam ad ea jugiter exercenda invitentur atque excitentur, ut ita, religiosis in partem laborum in vinea Domini vocatis, *„firmior in agro dominico pax Christi floreat et, qui incrementum dat, Deo benedicente messis multa fructu centesimo coeleste in horreum congregetur*[1]).“ Hujus mentis autem certissimi testes sunt ipsi Summi Pontifices, qui tum in solemnibus suis constitutionibus et suarum congregationum decretis episcoporum arbitrio noluerunt liberum omnino relinquere, religiosos indiscriminatim vel per denegatam confessariorum approbationem, vel per recusatam praedicatorum benedictionem a cura animarum exercenda impedire, tum ipsos clericos saeculares religionem suscepturos graviter hortantur, ne sacris ministeriis se in ordine religioso subducant.

De petenda et *non infinite deneganda benedictione praedicatorum* regularium jam supra diximus.

Quod autem ad *approbationem confessariorum* spectat, patet ex *„generali illa et perpetuo valitura“* constitutione *„Superna“* Clementis Papae X., *„illos religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab episcopis generaliter quoque, et indistincte absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum, aut generis personarum, in dioecesi propria admittendos esse (§ 4.* Ad haec). *Quoad caeteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio ordinariorum relinqui, ipsos . . . prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere*[2]).

Quod denique pertinet ad invitamenta, quibus pontifices ipsi religionem ingressuros vehementer hortantur ad curam animarum exercendam, satis habeo memorasse de solemni admonitione, qua saeculares alumnos Collegiorum

hodieque meminisse debebat jurisconsultus ille Cisalpinus qui convenientiam curae animarum cum statu religioso in dubio positam esse nuper edixit.

[1]) Const. *Superna magni* Clementis PP. X., loc. cit.

[2]) § cit. Cfr. etiam Luc. Ferraris ad verb. *Approbatio*. nn. 49—72. Legi de hac controversia possunt, quae habet Bouix, *de jure regularium*, t. 2., pp. 227—240.

Pontificiorum Urbis ad claustra religiosa dimittunt. Sic alumnis Collegii Germanici, religiosam vitam appetentibus, ea lege ingressum in ordinem concedunt, ut *„statim ad juvandas animas revertantur in patriam*[1]*).“*

Ex quibus omnibus liquido constat, ex frequentiori clericorum transitu ad castra religiosa curam animarum nihil detrimenti accipere.

Sed haec satis multa de duabus illis difficultatibus, quae clericis universim omnibus dicebantur obstare quin religionem libere ingredi possint.

36. Ast praeter ea, quae omnibus communia sunt, etiam particularia quaedam habentur rerum personarumque adjuncta, quibus religionis ingressum vel penitus impediri vel saltem ad tempus retardari recentiores quidam doctores contendunt; etenim suscipiendae religioni impedimentum aut moram afferri volunt ex singularibus illis et privatis obligationibus, quibus clerici nonnunquam obnoxii episcopo sunt vel propter impensas, quas dioecesis in eorum educationem atque institutionem, sive in proprio seminario, sive in aliqua publica literarum universitate fecit, vel etiam propter specialem aliquam obligationem qua devincti obstrictique censentur ad serviendum ecclesiae vel dioecesi, a qua discedere volunt. Jam vero horum enodatior explicatio quum commentario nostro adhuc ad absolutionem desit, ad extremum relinquitur, ut ea ultimo ejus capite diligentius excutiamus, necessariae consuetaeque brevitati tamen per omnia servientes.

---

[1]) Cfr. Julii Cordara *Historia Collegii Germanici et Hungarici*, lib. 4., n. 28, p. 172.

Caput III.

Obligatio clericorum

impensas educationis clericalis resarciendi vel dioecesi serviendi expenditur.

§ I.

De sumptibus seminarii episcopo restituendis.

37. Exordimur a priori obligatione, quae nimirum ex *sumptibus* deducitur, quos dioecesis in clericorum educationem impendit. Ut autem onus hoc expendere accurate possimus, diversae quaestiones sunt ex ordine ponendae; itaque

Quaeritur I. Utrum ideo adempta clericis sit canonica libertas statum religiosum amplectendi, quod Episcopus olim expensas in eorum educationem fecerit; et ipsi nunc institutum religiosum ingressuri non habeant unde sumptus ab illo pridem toleratos, modo autem repetitos solvant?

Jamvero perspicax lector facile, credo, videt, proposito huic problemati datis quibusdam rerum adjunctis certam esse in auctoribus solutionem. Etenim, si uti concessum sumpserimus, clericos universim omnes *ex justitia* teneri, illos sumptus, quos dioecesis in eorum educatione posuit, vel numerata pecunia, vel opera praestita episcopo pensare; seu, quod idem valet, si concesserimus, episcopum reposcere ex *stricta justitia* posse quidquid impensae factum est in clericorum educationem: hoc si posuerimus, inquam, quaestio adducta eadem prorsus est atque illa, quam doctores catholici, de justitia et jure agentes, infinite ponunt, dum causas a restitutione excusantes ponderant, et praeter alia et hoc quaerunt:

„Utrum ingressus in religionem liberet debitorem ab obligatione restituendi?[1])“

Unde ex solutione alterius hujus quaestionis etiam prioris explicatio existit.

---

[1]) Cfr. Cardinal. de Lugo, *de justitia et jure*, disput. 21, sect. 6. — Item Sanchez in *Praeceptis decal.*, lib. 4., c. 19, et Lessius, *de just.*, l. 2., c. 16, dubit. 8, n. 73.

Quid ergo probati scholae magistri de proposito problemate censent?

Doctrina sanctorum Thomae Aquinat. et Antonini Florent., nec non quamplurium aliorum gravissimorum cujusvis ordinis doctorum est, *posse hominem aere alieno pressum, bonorum suorum cessione creditoribus facta, ad religionem transire, quamvis spes sit, fore ut manens in saeculo postea solvere debita possit.*

Ne autem maximorum virorum sententia perperam accipiatur, in eorum verba jam afferenda animadvertendum in antecessum est, sanctum Thomam aliosque cum ipso non eo sensu docere, hominem obaeratum intrare in religionem posse, non solutis debitis, tanquam si ingressus vel professio religionis *ex opere operato* debitorum exstinctionem secum afferret; etenim ipsi credunt, ejusmodi hominem, si bona habeat ad solvendum creditoribus, peccare non solvendo, vel res suas non ita disponendo, ut illis tempore statuto certo satisfaciat. Ratio autem in eo est, quod, quum solvendo sit, justitiae lege curare teneatur, ut religionis ingressus in praejudicium creditorum minime cedat[1]).

Sententiam suam ipsi itaque declarent. S. Thom. 2—2. q. 189, art. 6, ad. 3, haec habet: „Si (ingressurus) debeat aliquam pecuniam, et non habeat unde reddat, tenetur facere quod potest, ut scilicet cedat[2]) bonis suis creditori. Propter pecuniam autem persona liberi hominis secundum jura civilia non obligatur, sed solum res[3]): quia

[1]) Sanchez, l. c., n. 3.

[2]) Neque hic intelligitur ea *bonorum cessio, quam jura petunt*, l. 1. et 4., *de cess. bonorum et l. fin. ff. de his qui bonis cedere possunt.* Sed nomine bonorum cessionis venit bonorum manifestatio et dimissio, ut ea creditores sibi sumere possint.

[3]) Nota discrimen, quod intercedit inter professionem hominis liberi et servi sine domini sui consensu, vel mariti post consummatum matrimonium, sine consensu uxoris. Etenim professio hominis liberi, licet *debitoris*, valida est; professio mancipii vero, sine consensu domini sui facta, ipso jure irrita dicitur; debitor quippe quum obligatus non sit *secundum personam* seu in ordine ad personalia obsequia, per professionem valide se obligare religioni potest; mancipium vero quum domino suo — et idem dicatur de conjuge — jam *secundum personam* obligatum existat, religioni se obligare non valet.

persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae. Unde licite potest, exhibitis rebus suis, religionem intrare: nec tenetur in saeculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat."

Ex s. Antonino autem, omissis iis locis quae allegantur a Card. de Lugo et Thom. Sanchez (disp. cit.), satis sit adduxisse quae habet parte 3. tit. 16., capitulo 2.

53. „Obligatus ad aliquid solvendum secundum Rainer. ingredi potest non obstante obligatione vel juramento: dummodo non ex levitate nec intentione subtrahendi debitum hoc faciat, sed ex fervore caritatis, nec facit injuriam creditori. . . . Sed monasterium tenetur satisfacere de his quae contulit monasterio (XIX, q. 3, *Si qua mulier*); quod si nihil contulit monasterio, qui nihil habebat: inanis est actio, quam excludit inopia debitoris (XIV, q. 6, *Si res*)."

Horum sanctorum doctrinae ampliter subscribunt ex ordine *summistarum*[1]*:*

Angelus a Clavasio († 1495), in Summa, quae ab eo dicta est *angelica,* v. *Religiosus,* n. 6 et 8;

Baptista Trovamala († saec. 15.), in Summa, quam *Rosellam* vocant, v. *Religio* 2, n. 5, et v. *Restitutio* 16, n. 1;

Bartholomaeus Fumus († 1545), in Summa, cui *Armillae aureae* titulum fecit, v. *Religio,* n. 5;

Sylvester Mozolinus, Prierias, († 1523), in ea quae *Sylvestrina* de ipsius nomine dicitur, v. *Religio* II, q. 4;

Joannes Cagnatius, ab oppido natali *Fabiensis* dictus († 1521), in sua Summa summarum, quae *Fabiena* nominatur, v. *Religio,* q. 2, n. 12, aliique.

Ex ordine theologorum:

Petrus de Palude († 1342) IV. distinct. 38, q. 3;

Thomas de Vio seu Cajetan. († 1534), ad cit. quaest. 189 s. Thom.;

Summa confessorum ordinis praedicatorum, etc.

[1]) De auctoribus praesenti hac § adductis videri poterit „*Index biographicus et bibliographicus auctorum,*" qui in Lucii Ferraris bibliotheca exhibetur tomo 8., pp. 563 seqq., edit. Migne, 1861.

Ex ordine *jurisconsultorum*:

Innocentius († 1254), Henricus de Segusia, vulgo *Hostiensis* († 1271), Raynerius Sacconus († 1259), Ulde-ricus seu *Udalricus*, Guido Bosius sive *Archidiaconus* cum caeteris ab iisdem citatis.

Pro omnibus unus audiatur, qui caeteros dignitate, auctoritate, scientia antecellit, Innocentius inquam, qui in rubrica c. *Magnus*, de obligatis ad ratiocinia, ad v. *obligatio* haec omnino habet: *Pone aliquem obligatum etiam juramento alicui curiae vel alii ad serviendum vel in propria persona vel ad scribendum librum . . ., numquid poterit ingredi religionem?*

R. *Si nulla fraude ducitur sive ut fugiat laborem vel expensas, sed sola caritate Dei, secure ingrediatur. . . . Tamen de bonis ejus quae habet, vel etiam quae obvenient post ingressum monasterii, satisfaciet illis quibus obligatus erat, vel etiam si scribere scit vel aliud opus facere, quod possit exercere salva regula et officio non neglecto, de illo satisfaciet.*

Cfr. etiam Sanchez, l. c., n. 7.

Neque praetermittendum de hac sententia est, s. Antoninum, Angelum, Sylvestrum, Cagnatium, Innocentium et Emmanuelem Sa († 1596) docere, hominem ejusmodi religionem suscipere posse, *quamvis juramentum creditoribus solvendi adesset.*

Quod autem spectat ad *rationem* hujus liberi ingressus, quam s. Thomas in ipsa libertate personali hominis liberi collocat, quamvis ea firma non sit, *ut sonat;* illam tamen Sanchez defendit in hunc modum: „Quum persona debitoris non sit ita pro debitis obstricta, ut ipsamet debita sit, et quasi captiva instar servorum, sed tantum obligata ad illis satisfaciendum; sola autem ejus bona sint priori modo obligata: satisfaciet utique, *quando moraliter est ad solvendum impotens,* si bona, quae habet, creditoribus tradat. At reputatur moraliter impotens, quando aut non proxime, aut non absque magna difficultate est bona comparaturus, quibus solvat. Sicut enim moraliter reputatur impotens, qui nequit absque famae vel honoris jactura acquirere, ita qui non potest absque notabili difficultate, vel absque maximo boni spiritualis detrimento, quale est,

diu exspectare in saeculo, amittendo maximum status religionis emolumentum; eo vel maxime, quando valde incerta sit spes, eo tempore acquirendi, quum morbo ac multis aliis causis impediri valeat. Unde (ut bene ait Navarra, *Comment. 1 de regul.*, n. 79) non est hoc aliquod religionis privilegium, sed impotentia moralis excusat. Sic ille l. c. n. 8.

Ergo doctrina minime dubia est virorum et eruditione et sanctitate insigniter conspicuorum, debitorem cujus bona non sufficiunt cunctis debitis solvendis, licite religionem ingredi posse, creditoribus scilicet omnia relinquendo.

38. Quum tamen essent, qui hoc licere negarent[1]), nunc doctores, viam quandam mediam ineuntes, testibus Metzgero aliisque magistris, *communiter* tradunt, *debitorem religiosae vitae cupidum, si brevi tempore manendo in saeculo speret solvi debita posse, teneri eousque differre ingressum religionis, secus autem, si necesse sit vel per longum tempus exspectare, vel nonnisi insolitis et extraordinariis laboribus id acquirere unde solvat.* Breve tempus vero esse dicunt, quod biennium (Sanchez, Lugo) vel triennium (Palao) non excedit. Atque hujus bimembris suae distinctionis stabiliendae non improbandam rationem afferunt.

Ac primum incisum quidem ita suadere solent: Si spes sit, fore ut debitor brevi tempore manens in saeculo debita solvere possit, creditores rationabiliter inviti essent, si religionis ingressum eousque non differret, *quum eum tamen absque notabili damno aliquantum differre ipsisque satisfacere adeo facile posset.*

Neque bonorum cessionem hujusmodi debitori vitam religiosam appetenti, suffragari docent; istud beneficium enim in eorum tantum favorem conceditur, qui propter moralem impotentiam aliter liberare se a debitis nequeunt; jamvero hic debitor aliquanto post satisfacere posse dicitur.

Alterum distinctionis membrum autem iis confirmant, quae ex observationibus Cordubensis doctoris in rationem sancti Thomae Aquin. adduximus, eaque fere sic proponunt:

---

[1]) Quinam ii fuerint videsis Sanchez, l. c., necnon Illsung., *Theolog. pract.*, tract. 4., disp. 3, q. 6, art. 4, n. 271, et a n. 276 ad n. 281. Item Babenstuber, tract. 7, disp. 4., art. 6, § 4, n. 34.

Debitor non tenetur bona, quae habet *in re*, restituere cum longe suo majori damno (praesertim in bonis superioris ordinis) quam sit commodum creditoris; quia tunc dominus censeri non potest rationabiliter invitus. Ergo multo minus tenetur debitor restituere bona, quae tantum *in spe* eaque valde longinqua habet, cum longe majori jactura bonorum altioris ordinis. Atqui in nostra hypothesi debitor *longo tempore* in saeculo manendo maximum pateretur damnum, utpote in bonis altioris, immo supremi ordinis, non quidem actu jam acquisitis, sed ad quae obtinenda jus habet. Ergo cum tanto incommodo restituere non tenetur.

Denique sententiam suam illustrant tum exemplo debitoris, qui ad debita persolvenda non tenetur abstinere a statu conjugali, eo quod hujusmodi abstinentia nimis esset onerosa[1]), tum exemplo viri nobilis, qui non tenetur lucrum procurare laboribus statum suum civilem dedecentibus et cum illo moraliter incompossibilibus[2]). De quibus omnibus confer, sis, ipsos stabilitae hujus distinctionis patronos.

Postquam ita praecipuum memoratae doctrinae momentum exhibuimus, nonnullos etiam ejusdem propugnatores allegare placet, quamvis caeteroquin satis fidere possemus soli testimonio Metzgeri aliorumque ab eo citatorum, asserentium sc. ita nunc *communiter* in scholis doceri[3]). Itaque debitori integrum esse religionem ingredi, si diu sibi esset in saeculo commorandum ad solvenda debita, eumque non teneri id tempus exspectare „ut sibi bona acquirat," quibus solvendo sit, expresse docuerunt:

Major († 1548) *in IV. dist.* 38, q. 17, concl. 3; Navarrus, com. 1, *de regular.* n. 8; Azorius († 1607), *Instit. moral.* lib. 12., c. 1, q. 5, § *„In hac quaest."*; Navarra[4]), l. 4. de restit. c. 4. — Et hi quidem sunt, quos allegat et sequitur Sanchez († 1610), citato capite 19. libri 4.

[1]) Illsung, l. c., n. 273.
[2]) Ibid. confirm. I.
[3]) Testatur etiam Vincent. Filliuccius, tract. 32, c. 5, quaest. 8, n. 155, hanc sententiam nunc *communem* esse.
[4]) De variis Navarris conferatur Index auctorum cit., pp. 660—661.

Praeterea idem medium tenent:

Joann. cardin. de Lugo († 1660), cit. sect. 6, disp. XXI, libri *„de justitia et jure,“* n. 67 sqq.

Vinc. Filliuc. († 1622), tr. 32, c. 5, q. 8, num. 155.

Leonardus Lessius († 1623), *de justitia et jure,* lib. 2, c. 16, dubitatione 8, n. 73.

Salmanticenses, carmelitae discalceati (saec. 17.), tom. 3, tract. 13, c. 1, p. 18.

Benedict. Pettschaderus, *de restitutione,* p. 617.

Ludov. Lopez († 1596), 1 p., c. 129.

Jacob. Illsung, *Theol. pract.*, tract. 4., disput. 3, q. 6, art. IV, n. 272 sqq.

Paul. Metzger, tom. 3, tract. 12, disp. 35, art. 3, n. 2 sqq.

Ludov. Babenstuber, *Cursus theol. moral. Salisburg.,* tract. 7., disp. 4, art. 6, § 4, a n. 31, ad n. 34.

His addi postremo debet doctissimus Anacletus Reiffenstuel, qui in suo *Jure canonico universo* in lib. 3., tit. 31, § 3, n. 72, haec omnino habet: Ab ingressu in religionem impediri nequit debitor, qui non amplius est solvendo, dummodo in favorem creditoris cedat bonis suis, si quae habet.

S. Thom. l. c., Miranda, tom. 1, q. 17, art. 7, Pellizar. et Donat. limitant quidem hoc aliquo in casu, quo debitor pollet arte et viribus, quibus bona acquirere et per acquisita solvere potest. Verum haec limitatio probabiliter non est attendenda, eo quod *propter pecuniam* . . . ut bene observat s. Thomas et docet cum aliis Pellizar.

Haec gravissima sane testimonia, si iis addantur quibus alios complures magistros cum doctore angelico absolute tradere ostendimus, hominem obaeratum religionem ingredi posse, cessione bonorum suorum creditoribus facta: manifesto apparet, minime contemnendam illorum doctrinam esse, qui contendunt, debitorem non ideo infinite ab amplectenda religiosa vita impediri, quod solvendo non sit, immo posse bonis, si quae habeat, relictis, statim religionem ingredi, saltem si nonnisi longo tempore sibi acquirere possit, unde creditoribus satisfaciat.

Caeterum haec non procedunt nisi de jure naturali; jure positivo enim aliqui debitores a suscipienda religione arcentur. Sixtus PP. V. enim motu proprio anni 1587, d. d. VI. Kal. Decemb.[1]), omnino inhabiles ad professionem reddidit eos, qui fuerint ingenti aere alieno supra vires suarum facultatum gravati, vel reddendis rationibus ita obnoxii, ut ex hujusmodi causa lis vel molestia illata sit, vel timendum sit, ne inferatur.

Hanc constitutionem Sixti Papae V. anno 1602 Clemens PP. VIII., quod ad hoc solum immutavit[2]), ut professio talium valeret; quod ad caetera vero, ut puta prohibitionem et poenas, in suo robore legem Sixtinam reliquit. Atque easdem hasce definitiones pontificias respicit magnum decretum Sacrae Congregationis super stat. regular. auctoritate Pii PP. IX. editum, quum episcopos etiam de *aere alieno* candidatorum testari jubet.

Diximus autem, memoratis constitutionibus *aliquos debitores tantum* a capessenda religione impediri; quia iisdem

1° Non comprehenduntur debitores, quorum debita non superant vires suarum facultatum, ut ex ipsis verbis constat, nec quando non sunt magni momenti; sermo enim est de debitoribus *ingenti aere alieno gravatis.*

Neque comprehenduntur 2° debitores, qui sine gravi culpa sua debita illa et impotentiam solvendi contraxerunt; Pontifices quippe de iis loquuntur, quorum culpa haec accidunt, uti eruitur ex verbis illis: *„Multi doctores post dilapidatam rem familiarem et contractam ingentem vim aeris alieni.“*

Neque comprehenduntur 3° debitores qui culpabiliter etiam ad hunc statum devenerunt, quando bonis suis cedunt pro creditoribus, et non est spes fore ut manendo in saeculo ipsis satisfacere possint[3]).

---

[1]) Incipit *Quum de omnibus* et habetur in Bullar. Magno, edit. Luxemburg. t. 2., p. 656.

[2]) Const. *In suprema ecclesiae*, edit. die 2. April. 1662, tom. 3. cit. Bullar., p. 144

[3]) Cfr. Rodriguez Emman. tom. 3. Quaest. regul., quaest. 10., art. 9., notab. ultim.

Neque tandem, — ut alios omittamus, quos Card. de Lugo singulatim enumerat, — ii debitores comprehenduntur, qui condemnati ad solvendum sunt vel in poenam delicti vel in satisfactionem pro aliqua injuria illata: hi enim proprie gravati aere alieno non sunt. Ita Sanchez l. c., nn. 21—29, et ex eo cardin. de Lugo l. c., nn. 86—90. Plura de iisdem constitutionibus reperies etiam apud Salmant. l. c., n. 299, Illsung, l. c., n. 275, et Metzger, l. c., n. 6.

Ex quibus omnibus, quae disputata hucusque in doctrinam scholae sunt, indubie, opinor, colligitur, debitores religionem ingredi volentes, — praesertim eo casu, quo vel diu expectare vel insolitos labores perferre[1]) deberent ad satisfaciendum, minime esse reprehendendos, si bonis suis creditoribus antea relictis ad claustra regularia transeant[2]). Debitoribus enim libertatem statum religiosum amplectendi aes alienum non eripit, nisi forte in particularibus rerum personarumque adjunctis, in quibus eosdem utroque jure, naturali videlicet ac scripto, ex sententia scholae in saeculo retineri vidimus.

39. Jam vero, si nunc expositam doctrinam ad illam quaestionem traducamus quam initio posuimus: *„Utrum scilicet idcirco adempta clericis sit religionem ingrediendi libertas, quod solvere non possint sumptus, quod seminarium in eorum educationem praebuit,“* minime dubia ejus solutio existet.

Etenim si perpendatur 1° clericum in Germania nostra plerumque toto illo tempore, quo cooperatoris, h. e., capellani seu vicarii munere fungitur, adeo nihil comparcere sibique reservare posse, ut vix habeat quae ad victum cultumque decentem necessaria sunt;

Si consideretur 2° sacerdotes fere per viginti annos in humili hoc vicarii munere ut plurimum detineri, sique

Tandem 3° ponderetur, clericos alieno aere propter eruditionem et educationem seminarii gravatos, — si quidem hanc hypothesim concesserimus — annumerari non

[1]) Filliuc., loc. cit.

[2]) Sic debitores semper censentur exclusi, quos jus novum, a Sixto Papa V., in cit. bulla constitutum, excipit.

posse iis debitoribus quos bulla Sixtina a religionis ingressu excludit, haec omnia, inquam, si diligenter circumspiciantur; negandum esse patet, ob magnos illos sumptus, olim a seminario suggestos, nunc vero ab episcopo repetitos, clericis, qui solvendo non sunt, praecisam esse libertatem ad statum religiosum transeundi.

Universum solutionis consilium omnemque infitiationis rationem ex praemissis ipse colliges.

Et haec quidem in *hypothetica* clericorum *obligatione* sumptus illos resarciendi, quos dioecesi suae in seminario fecerunt.

40. Quod si vero *hanc obligationem non ponamus,* sed potius in ipsum ejusdem fundamentum inquiramus, tunc alia omnino eaque amplior quaestio oritur, quae scilicet illos clericos etiam comprehendit, qui solvendo quidem sunt, sed tamen nulla solvendi lege tenentur. Hinc, omissa distinctione inter eos, qui solvere nequeunt, infinite

Quaeritur II. Utrum clerici religionem suscepturi teneantur episcopo vel seminario reddere quod impensae factum a dioecesi est in eorum educationem?

Ut omnis dubitatio de sensu positae quaestionis tollatur, ante monendum esse censemus, episcopum vel dioecesim sumptus educationis clericorum variis modis sufferre in seminario posse; etenim seminaria vel canonice erecta sunt juxta legem Tridentinam[1]), ut in Italia; vel ex fundo religionis quae sibi necessaria sunt percipiunt, ut in Austria; vel certis quibusdam stipendiis fundatis, quae Galli *„Bourses“* appellant, subsistunt; vel denique donationibus manualibus, — ut puta eleemosynis fidelium sustentantur; sed quocumque tandem modo eorum usibus necessitatibusque suppeditetur, sumptus semper tolerantur ex bonis ecclesiasticis, h. e. ex bonis ad ecclesiasticum finem destinatis.

Jamvero de clericis ita *publice* educatis, generatim quaeritur, utrum teneantur sumptus dioecesi reddere, si transire ad religionem velint?

[1]) Sess. 23, c. 18, *de reformat.*

Propositam quaestionem D. Bouix solvit *negando*[1]), suaeque solutionis minime improbandas rationes affert, quas et ipsi allegabimus, praemissis tamen nonnullis considerationibus ex analogia juris depromptis.

Animadvertimus ergo

1. Clericos ad hanc restitutionem non teneri, vel ex generali illo principio conjici posse, quod *transeuntibus ad religionem non sit onus imponendum, quod nullo jure probetur;* vidimus enim, quomodo maximi doctores, huic principio innixi, conversuros etiam ab aliis obligationibus, v. g. ab onere ante discessum licentiam ordinarii petendi, liberos omnino dixerint. Atqui hoc onus sumptus resarciendi adeo non probatur ex jure, ut contrarium potius ex eo colligatur. Hoc autem non obscure patebit, si animadvertamus

2. Hinc quidem jus ipsum supponere, clericos plerosque omnes in seminario dioecesano educatos esse publice, h. e., non propriis, sed communibus atque ex bonis ecclesiasticis praestitis sumptibus; inde vero, publicis hisce impensis non obstantibus, Pontifices tamen clericis indiscriminatim omnibus convertendi libertatem ita contra episcopos asserere, ut nullam mentionem faciant alicujus oneris vel sumptus seminario restituendi vel in saeculo manendi.

Priorem partem habemus ex Patribus Tridentinis; Concilium enim non solum formam erigendi seminarium tradit, sed etiam expresse definit, quinam recipi in illud debeant.

Et ad erectionem quidem quod spectat, haec habet: Quia ad collegii fabricam instituendam et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam et ad alendam juventutem et ad alios sumptus certi quidam reditus erunt necessarii, ultra ea, quae ad instruendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis destinata . . . iidem episcopi . . . ex fructibus integris mensae episcopalis et capituli . . . partem aliquam et portionem detrahent, et eam portionem sic detractam . . . huic collegio applica-

[1]) *De jure regular.*, t. 1., p. 551.

bunt et incorporabunt[1]). Atque istae sunt *impensae publicae seu publico-ecclesiasticae.*

Ad receptionem alumnorum autem quod attinet, Concilium Tridentinum ex mente antiquorum canonum pauperum filios *„praecipue"* eligi vult; unde longe major illorum numerus existat oportet.

Quod ad divites vero notandum est, quod ii quidem ex mente Tridentin. videantur proprio sumptu alendi in seminariis erigendis; attamen praxis Collegiorum Pontificiorum Urbis et seminariorum in pluribus dioecesibus Germaniae habet, ut omnes publice alantur et educentur, sive pauperes sive divites sint. Unde merito diximus, clericos plerosque omnes in seminariis publice, h. e. *ecclesiae sumptibus,* ut s. Car. Borrom. ait[2]), *ali et educari*[3]).

Illa autem quam memoravimus, Urbis ac Germaniae praxis juri decretalium apprime consona est. Etenim in antiquis scholis ecclesiasticis, quas ecclesia constitutioni seminariorum Tridentinorum quasi proludendo instituerat, clericos indiscriminatim omnes cum aliis pauperibus *gratis* omnino instrui voluit. Cujus rei testes sunt Patres duorum conciliorum oecumenicorum Lateranensium III. et IV. in cc. *Quoniam* 1., et *Quia nonnullis* 4. de Magistris.

In priori haec habent: *„Quoniam ecclesia Dei* (et in iis, quae spectant ad subsidium corporum, et in iis quae ad profectum proveniunt animarum indigentibus) *sicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari nun possunt, legendi et proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos ejusdem* (ecclesiae) *et scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium praebeatur* (quo docentis necessitas sublevetur et discentibus via pateat ad doctrinam). *Pro licentia vero docendi nullus* (omnino) *pretium*

[1]) Sess. 23, c. 18.

[2]) Inst. Sem., p. III, c. 1.

[3]) Atque hinc est, cur Sanctus generatim inferat, illos clericos, qui propter improbitatem aut negligentiam a seminario sint ejiciendi vel alias sua ipsi sponte ab instituto clericalis vitae recedant, vel etiam episcopo suo in iis rebus parere nolint, quae ad ecclesiae utilitatem spectant, tanquam alienae, h. e. *ecclesiae*, facultatis usurpatores graviter peccare, loc. cit., § Quod si.

exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ab eis, qui docent, aliquid quaerat. . . ." Quam legem in capite *Quia nonnullis* innovantes hoc alterum statutum adjecerunt, „*ut non solum in qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis* (collegiatis) *constitueretur magister idoneus, qui clericos ecclesiarum ipsarum gratis in grammatica facultate ac aliis instruat juxta posse.*" Ergo alienum a jure pontificio non est, ut etiam ditiorum filii, *qui studium prae se ferunt Deo et ecclesiae serviendi* (Conc. Trid.), in seminariis publice instituantur[1]).

Altera pars quae est de libertate convertendi clericis absolute asserta, non obstante quod dioecesis in eorum institutione sumptus posuerit, satis nota est ex capite praecedenti.

Ergo Pontificum mens non est, ut sumptus quos clericus seminario fecit, ejus in religionem ingressui moram et impedimentum afferant.

Quid quod 3° animadvertendum est, doctrinam illam, *clericos* nimirum *religionem suscepturos restituendi lege teneri,* conciliari vix posse cum genuino spiritu legislationis ecclesiasticae; namque, hac obligatione semel concessa, universalis illa omnibus clericis per sacros canones asserta libertas ad religiosa castra transeundi, propter magnos sumptus reddendos, adeo in angustum deducta, nimium quantum restringeretur, immo et praecideretur, quum hac ratione legislatores ecclesiastici solemnibus suis legum sanctionibus nihil aliud praebuissent clericis, nisi inania quaedam simulacra libertatis; patet quippe, non solum pauperes, sed etiam eos, qui miserabilium parentum filii non sunt, e seminario vixdum egressos raro tam grandem praesentis pecuniae summam numerare posse, unde sumptus per tredecim annos[2]) factos restituendo praestent. Atqui, quae in praecedentibus tum de natura ac praestantia status

[1]) Conferatur etiam c. *Super specula*, 5., eod. tit., in quo praelati scholaribus ad theologicae professionis studium transmissis omnia ad sustentationem necessaria subministrare jubentur.

[2]) Octo nimirum in *seminario puerorum* et quinque in *seminario theologico* degunt. Cfr. *Memor. Archiep Monacho-Frisingen.* dd. 16. Aug. 1853, in Archiv für Katholisches Kirchenrecht, an. 1862, p. 442.

religiosi, tum de rationibus illis vidimus, quibus sacri canones et caetera oracula Pontificum, praesertim Benedicti Papae XIV., clericorum libertatem defendunt, ea omnino suadent, ex mente ecclesiae religionem capessendi libertatem amplificari confirmarique, nedum comprimi eripique debere. Inferendum ergo et ex hoc capite est, doctrinam illorum qui clericos religiosam vitam amplexuros ad restitutionem impensarum obligant, aegre admodum sociari posse cum divino illo spiritu libertatis, quem universas ecclesiae leges ubique spirare deprehendimus.

Quibus ita praevie notatis jam rationes audiamus, quibus permotus D. Bouix clericos esse omni restituendi onere liberos solutosque defendit; eas autem praecipue ex praesumpta fundatorum seu donatorum voluntate deducit in hunc modum l. c., p. 551:

„Dictae obventiones (stipendia et dona) juvenibus non erogantur sub ea conditione, ut si forte ordines sacros non suscipiant, ad restitutionem teneantur, sed liberum ipsis est in laicali conditione manere; et revera plures quotannis ineundi clericalis status consilium deserunt, quin ab ipsis donatores quidquam ex justitia repetant." Sic ille.

Ut autem primam hanc rationem recte assequaris, haec memoria prosequere: *Primo,* donatoribus ac fundatoribus, qui largitione sua beneficium conferunt studiosis integrum sane est, *rationabiles*, h. e., canonicis sanctionibus non adversas, conditiones determinare, quibus servatis beneficia seu stipendia sua a juvenibus accipi velint; cum hujusmodi conditionibus quippe et s. Carolus Borromaeus et ipsi Summi Pontifices seminaria fundarunt. Ast *secundo,* ipso facto constat, largitores plerumque nulla conditione de aliqua restitutione facienda adjecta beneficium tribuere; juvenes enim, qui donorum suorum commodis fruuntur, adeo non obligant, ut ipsis vel ad inferiorem conditionem redeundi, nedum ad perfectiorem statum ascendendi, libertatem plerumque non adimant[1]).

[1]) Dicimus *plerumque* plena libertate gaudere clericos in seminario degentes ab instituto clericalis vitae recedendi, quia id ubique non obtinet. Sic vel ipse s. Carol. Borrom., prima part. Inst. (cap. 10., *de Fidejussore dando ab iis qui seminarium ingrediuntur*), sta-

„Quum donatores, — sententiam suam confirmare pergit D. Bouix — consentiant, ut illi juvenes laicalem, si libuerit, conditionem eligant, a fortiori praesumendi sunt consentire, ut statum religiosum ingrediantur.“

Hujus alterius argumenti summam accipias ita: Donatores beneficia sua non ea conditione dedisse, ut, qui sacerdotes saeculares non fierent, ad restitutionem tenerentur, vidimus in prima ratione exposita. Sed ulterius dicendum, neque honeste potuisse eam conditionem adjici; esset enim iniqua ac prorsus indigna. Et primo quidem *iniqua* esset, quia deterioris conditionis eos faceret, quos gratia divina ad perfectiorem vitae statum vocaret, quam eos, quos amor sacculi a pressiori sequela Christi abstraheret: sumptibus seminarii nempe ab aliis exacte repetitis, aliis vero liberaliter remissis. *Indigna* deinde conditio esset, quia crudele sane illud beneficium dici deberet, quod juvenem a consecutione maximi, immo et nonnunquam ad salutem necessarii boni impediret; tali beneficio autem studiosos afficeret, qui illorum in religionem ingressum propter sumptus in seminario praestitos retardaret.

Atqui donatores praesumendi non sunt, beneficia sua tam iniquis et indignis conditionibus in juvenes detulisse. Ergo praesumendi sunt consentire — et haec est conclusio ejusdem auctoris — ut statum religiosum ingrediantur.

Intentio nempe donatorum — argumentationem suam ita prosequitur — in Gallia videtur esse generatim, ut provideatur de majori clericorum numero. Intentus autem ille scopus obtinetur, etiamsi ex illis juvenibus nonnullos, non saeculari, sed regulari clero nomen dare contingat; regularis enim clerus non in minorem ecclesiae utilitatem cedit, quam saecularis.

Quae hic de Galliarum ecclesiis affirmantur, ea etiam ad plerasque omnes Germaniae nostrae dioeceses accommodari posse nemo non videt; quod item dicendum de iis est quae argumentationem continuando auctor subjecit: Nec dicatur, statui dictas subventiones seu stipendia *deter-*

tuit, ut clericus *vitio suo e seminario expulsus pro victu teneatur solvere, quaecunque eo nomine reverendissimus archiepiscopus aut ejus vicarius jusserit, pro eo tempore universo, quo in seminario commoratus fuerit.*

minate quoad unamquamque dioecesim, ita ut erogata in aliqua dioecesi quoad id pecunia ad augendum hujus et non alterius dioecesis clerum destinetur, migrantes autem ad religiosa castra plerumque etiam e dioecesi migrare.

Nam respondetur, a regularibus utpote per varias dioeceses apostolicam operam navantibus praestari quod intendebatur illi etiam dioecesi, e qua dicti juvenes ad novitiatum digressi sunt. Pro illis enim juvenibus praesto sunt alii religiosi, aliunde oriundi, quos sibi in auxilium hujus dioecesis episcopus vocare queat. Ex quo fit inter varias dioeceses compensatio quaedam, quae donatorum intentioni plene satisfacere censenda est. . . . Unde ipsorum intentione non excludi, sed potius includi censenda est dictorum juvenum libertas ad consiliorum evangelicorum professionem divertendi.

Quibus omnibus exacte ponderatis ac cum iis quae ante monuimus rite collatis, totius quaestionis II. argumentationem concludamus oportet, *clericos religionem ingressuros non teneri ad restitutionem impendiorum*, a seminario in eorum educationem collatorum.

Et haec quidem quod ad impendia *post egressum e seminario* a clericis religionem capessituris *repetenda*.

41. Sed quid si episcopus, clericorum proposito ad religionem transeundi antevertens eosdem nonnisi ea lege in seminarium admisisset, ut sumptus seminario redderent, si quando ad religiosa claustra pergere vellent? Poteritne ordinarius suos clericos hac ratione a castris religiosis intercludere?

Quaestio haec quae intime cum praecedenti cohaeret quaeque juris publici est, in cisalpinis ecclesiis maxime usui potest esse. Hinc lectoribus gratum facere credimus, si eam pro multiplici usu ad quem conferenda videtur, summatim breviterque solvamus. Igitur

Quaeritur III. Utrum episcopus in admissione clericorum in seminarium exigere ab iis possit, ut, quacunque demum ratione, se obligent ad restitutionem sumptuum, si quando ad religionem transire vellent?

Ad quam quaestionem haec erit nostrae responsionis summa:

1° *Ejusmodi postulatio episcopi omnino irrationabilis atque injusta esset.* Ea enim si semel admitteretur, sacram illam libertatem, quam solemnes ecclesiae canones omnibus clericis nunquam non sartam, tectam integramque esse voluerunt, in antecessum ac quasi in radice praecideret. Profecto, si clerici promissione illa, quam episcopus ipsis in seminarium ingredientibus extorsisset, in conscientia obstringerentur, plerique omnes a religione excluderentur. Ast sublata religionis spe pluribus etiam illius medii spes incideretur, quod ipsis omnino necessarium est ad salutem (NN. 7—8).

Hinc clericum, vitam religiosam appetentem, non admodum reprehendendum esse censemus, si se hujusmodi promissionis vinculo praepediri non putet, quominus impensis non restitutis ad religionem transeat. Etenim *is temere non agit*, quum in proposito suo exequendo sancti Antonini aliorumque gravissimorum virorum doctrinam sequatur, atque omne consilium suum ad eorum normam dirigat; apud eos enim didicit, posse hominem obaeratum religionem ingredi, non obstante juramento de debitis antea solvendis (N. 37). Jamvero quaero ecquid obstet, quin clericus, ex quo, divinae vocationis adhuc ignaro, promissionem elicuisset episcopus, hanc doctrinam, tanquam agendi normam sequatur?

Neque *nova* dicenda esset ejusmodi agendi ratio neque etiam *inaudita;* probaretur enim notissimo illo ac generali principio juris, *quamlibet conventionem in statum nullitatis incidere, quoties in eum casum perveniat, a quo incipere non potuit*[1]). Atque ipsissimum hoc principium supremi ecclesiae praesules jure optimo accommodant in interpretationes concessionum in concordatis factarum, meritissimo persuasi, salutem aeternam gregis Christi posthabendam non esse alicujus conventionis vinculo.

Episcopo, qui additi juramenti religionem urgeret, reponere clericus posset, juramentum non debere esse vinculum injustitiae, docente Innocentio Papa III., in cap. *Quanto* 18, de Jurejurando (II, 24): „*Juramentum non ut esset iniquitatis vinculum fuisse institutum.*“

[1]) Cfr. legem *Quia in,* 16 ff. ad legem Aquiliam (IX, 2).

2°. *Episcopo non licet, clericos proprio suo arbitratu iis conditionibus in seminarium dioecesanum recipere, quae eosdem in suo jure per canones asserto aliquando impediant.*

Quod quidem patebit duo haec capita juris communis secum reputanti:

a) Concilium Tridentinum generali lege statuta accurate sanxit, quanam ratione sint et seminaria erigenda et juvenes in iisdem publice alendi;

b) Clericorum ita institutorum jus ad religionem transeundi — si quando per divinam gratiam vocentur — sacri ecclesiae canones defendunt.

Atqui de solemnibus hisce sanctionibus juris communis multum omnino auctoritate solius episcopi dioecesani detraheretur, si ipse candidatos non juxta formam Tridentinam institueret, sed contra sub aliis iisque propria auctoritate statutis conditionibus, quibus, quod leges universales solemniter tuentur, penitus everteretur. Agitur quippe de generalibus ecclesiae legibus, quarum derogatio — et multo magis abrogatio — penes Summum Pontificem est.

Atque hinc est, quod episcopos passim ad Sedem Apostolicam pro dispensatione obtinenda recurrere videmus, quandocumque sive in seminariis erigendis, sive in directoribus et magistris constituendis, sive tandem in statutis condendis vel tantillum a regula Concilii Tridentini recedere volunt. Notum quidem illud est ex decretis S. C. C., e quibus nonnulla videri possunt in edit. Conc. Trid. Richt. a pag. 211 ad pag. 214[1]); sed et illustriori quodam exemplo proposito idipsum demonstrare placet.

Cardinales protectores Collegii Germanici de Urbe, quibus pontificiae constitutiones jus summum ac potestatem tribuunt in seminarium illud et in ejus alumnos, *ordinaria* episcoporum *facultate in seminario* dioecesano instructi sunt[2]). Jamvero, quum sub Alexandro Papa VII. opportunum esse ducerent, ut illa ad religionem transeundi libertas, quae omnibus clericis concessa est, propter pecu-

[1]) Cfr. D. Bouix, *de episcopo*, pp. 73 seqq.
[2]) Cfr. Cordara, loc. cit., l. 4., n. 13.

liaria rerum adjuncta[1]) pro Germanicis parumper restringeretur, id se proprio arbitratu decernere posse non crediderunt — quantumvis caeteroquin per omnia novas leges sciscendi facultate praediti essent —; sed ad Pontificem recurrendum esse persuasissimum omnibus erat. Consensit autem Pontifex, ut praedictis alumnis sub certis quibusdam conditionibus[2]) tantum facultas tribueretur ad claustra transeundi, sed protectoribus, collegii bona, res fortunasque valide defendentibus nullo pacto concessit, ut aliquid pro impendiis a collegio collatis reposceretur ab ingressuris in religionem, etiamsi iidem inter caeteros divitiis eminuissent.

Quae quum ita sint, concludamus oportet, per ejusmodi conditionem in ingressu in seminarium positam non solum clericis inferioribus, sed etiam ipsi Summo Pontifici injuriam inferri; illis quidem, quia in praestantissimo suo jure ad religionem transeundi possent impediri, huic vero, quia toties supremi ejus primatus jurisdictio violatur, quoties particularis aliquis episcopus sibi potestatem in legem ecclesiae universalem asserit. Irrationabilis ergo atque injusta conditio haec esset.

Ast, sciscitando dices, si conditio haec justa non est, quamnam tandem ponere episcopi possunt *relate* ad *sumptus seminario restituendos?* seu quanam lege pecuniaria admittere juvenes in seminarium valent?

Ultimo huic quaesito satisfiet in sequenti puncto, in quo idcirco

42. *Quaeritur IV.* Quibusnam conditionibus episcopi eos obligare ad restitutionem impensarum possent, qui seminario sumptui fuerint?

Quaestio haec solvi duplici ratione potest, nimirum vel rationibus ex praecedentibus subductis, vel probatorum praesulum factis allegatis.

Ac principio quidem, ad rationes quod spectat, haec sponte veluti sua ex praemissis dimanant:

a) Ex quaestione II. Clericos illos, quos Deus nonnisi *post percepta seminarii commoda* ad perfectiorem vitae

---

[1]) Loc. cit., n. 29.
[2]) Loc. cit., 28.

statum vocet, ad restitutionem impendiorum a seminario collatorum non obligari;

b) Ex quaestione III. Episcopos ab iis, qui ea intentione in seminarium admittuntur, ut sacerdotes saeculares fiant, exigere in ingressu non posse, ut data promissione in antecessum se obstringant ad impensas postea solvendas, si quando per divinam gratiam ad religiosam vitam evocentur.

c) Ex prob. quaest. II. Donatoribus, seu fundatoribus, sive episcopi ii sint, sive alii quicumque, liberum esse, beneficiis suis eas conditiones adjicere, quae sacris canonibus neque immediate neque mediate repugnent. Quid ergo statuere licitum erit? Scilicet: in ipso *limine fundationis,* hoc est, in ipsa erectione et fundatione seminarii, vel in ipsa largitione beneficii, haec duo constituere licet quod ad sumptus faciendos: ut ille juvenis seminarii commodis ac beneficiis minime frui valeat, qui firmiter jam constituit religionem suscipere; 2^0 ut ille, qui, postquam seminarium ingressus quidem est intentione statum clericorum saecularium amplectendi, temporis progressu tamen Spiritu Sancto afflatus, propositum capit religionem capessendi, id statim episcopo significare teneatur, simul ac sanctum ejus propositum satis maturuit, ut eum videlicet vel retinere possit, si velit, vel etiam ad religionem statim dimittere, si ita expedire videatur.

Duabus hisce conditionibus nemo seminarii beneficia accipiet, nisi cui propositum est dioecesi in statu clericorum saecularium servire, et ex altera parte etiam clericis nihil de canonica libertate ad religionem transeundi detrahetur.

Quod si clericus post maturatum religionis propositum in seminario cujus leges quae diximus statuunt, dioecesi sumptus facere pergat, proposito suo cum episcopo non communicato: tunc et injustitiae peccati reus erit, et ex tempore maturati propositi ad restitutionem tenebitur. Secus autem arbitrandum de illo erit, qui in seminario educatur, *cujus leges ista positive non constituunt.*

Et hanc quaestionis solutionem, quam ex praecedentibus fluere diximus, jam celebratiori aliquo exemplo confirmemus.

Itaque *priorem conditionem*, ne quis in seminarium recipiatur publice alendus, nisi firmiter sibi propositum sit, statum clericorum saecularium amplecti, Eminentissimi Cardinales protectores Collegii Germanici et Hungarici de Urbe juvenibus Germanis in collegium recipi cupientibus, qua pollent auctoritate, posuerunt. Hinc evoluto sex mensium spatio post ingressum alumni in haec verba jurare debent: *„Juro me velle statum ecclesiasticum amplecti, et ad omnes sacros, etiam presbyteratus, ordines, cum superioribus visum fuerit, promoveri: quumque iidem mandaverint, me statim in patriam reversurum ad juvandas animas. . . . Insuper spondeo ac juro, quod sine Sedis Apostolicae licentia vel . . . sine licentia Eminentissimorum Cardinalium Protectorum, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem ingrediar, nec in earum aliqua professionem emittam.“*

Ad quod juramenti caput, haec velim ex Cordara l. c. n. 29., notes: *Primo*, etiamsi Germanici sibi aditum in ordines religiosos praecludere videantur, id tamen ita jurant, ut facile exsolvere se vinculo quo tenentur possint, facultatem haud difficulter concedendam rogantes. *Secundo*, Collegii hujus institutio non tam ad privatam alumnorum sanctitatem, quam ad publicam populorum utilitatem spectat, neque id solum voluit Gregorius Papa XIII., collegii fundator, ut sancti, sed etiam ut apostolici sacerdotes in hoc collegio efformarentur[1]). Aequum proinde fuit, ne per speciem boni majoris Collegii institutio frustraretur, alumnis statum religiosum inire cupientibus quasdam interponi moras, non ex propria eorum libidine, sed apostolicae Sedis arbitrio removendas. Atque ita ex *particularibus* momentis ac *rationibus institutionis* Collegii prior haec conditio probatur. Si non eadem, ast simili certe ratione Pius PP. IX., in constitutionibus seminarii, quod de ipsius nomine dicitur Pium voluit, ut inter alumnos non admitterentur nisi qui firmiter jam constituissent in presbyterorum saecularium numero proprio episcopo servire. Postquam enim tit. IV. *„de alumnorum admissione*

[1]) Eadem de causa Alexander Papa VII., brevi *Quum circa juramenti*, an. 1660, prohibuit, ne *quovis tempore quilibet alumnus Collegii de Propaganda fide possit ad religionem admitti, nisi de expressa Romani Pontificis licentia.*

et dotibus“ declaravit, *seminarium Pium eo spectare, ut ecclesiastici instituantur viri bono propriae cujusque ecclesiae profuturi,* tit. VI. seminaristas jusjurandum dare jubet, *velle se, absolutis in seminario studiis in propriae dioecesis et episcopi servitium remigrare* — solo casu *legitimi apostolatus missionum exterarum, donec ad illas incumbant,* excepto[1]).

Alteram conditionem de significando moderatoribus maturato religionis proposito sanctus Carolus Borromaeus statuit alumnis seminarii Mediolanensis et quidem in ipsa ejusdem erectione[2]). Postquam scilicet *divino auxilio,* ut ipse sanctissimus Praesul loquitur, *et auctoritate Apostolica suffragante seminarium ad mentem Concilii Tridentini certo urbis loco erexit, ac censibus reditibusque ad adolescentium sustentationem assignatis* fundavit, in legibus, quas pro ejus canonico regimine condidit, praeter alia et haec statuit parte III.: „*Quae ad clericos seminarii pertinent,*“ cap. 1. „*de scopo clericorum seminarii.*“

„Unusquisque sit ea mente ac voluntate, ut omnino velit in bonum ministrum pro hujus ecclesiae Mediolanensis adjumento evadere. . . .

„Quod si quis decursu temporis de statu mutando consilium caperet, etiamsi de religione ingredienda cogitaret, de eo reverendissimum archiepiscopum vel rectorem statim certiorem faciat. Peccaret enim, si in seminario hoc animo viveret, in alium finem consumens, quod ad operarios solum pro hujus ecclesiae auxilio sustentandos est constitutum[3]).“ *Institutiones seminarii,* p. III, c. I, § fin.

Tempore sancti Caroli Borromaei nempe alias jam satis erat in ipsis religiosorum scholis eorum educationi consultum, qui in religionem ingredi decreverant; hinc

[1]) Const. *Quum Romani Pontifices,* 28. Jun. 1853. Habetur in Archiv für Kathol. Kirchenrecht, an. 1857, p. 649.

[2]) Notandum vero est, constitutiones collegiorum pontificiorum de Urbe, ac nominatim statuta Eminentissimorum Cardinalium Protectorum pro *Collegiis nationum exterarum* edita, et literas apostolicas *Quum Romani Pontifices,* quibus *seminarium Pium* erigitur, hac vel simili clausula *de significando moderatoribus maturato religionis proposito* omnino carere.

[3]) Sc. in ipso limine fundationis.

jure optimo exigere potuit, ut inconsulto archiepiscopo seminarii commodis nemo frueretur, qui se ad religionem vocatum sentiret et aliunde, h. e., ex ipsa, quam capessiturus esset, religione haberet, unde voti sui compos fieret.

Ast nostra hac tempestate, ubi, religiosarum scholarum frequentia deficiente, institutioni gymnasiali eorum prospectum non est, qui se ante absoluta studia rhetorices ad perfectioris vitae statum vocatos sentiunt, quamvis episcopus exigere cum s. Carolo possit, ut maturatum religionis propositum cum ipso communicetur, non putamus tamen, tales juvenes eadem aequitate dimitti posse atque aetate s. Cardinalis Mediolanensis, praesertim si episcopus religiosorum opera in dioecesi sua excolenda utatur. Et sane, aequum non esset, ut v. g. episcopus Germanus, qui opera alicujus congregationis religiosae frequenter in suis ecclesiis utitur, juvenem, dioecesani puerorum seminarii alumnum, ideo e seminarii scholis extruderet, quod is se ad apostolicam eorumdem Patrum vitam per divinam gratiam vocatum sentiret.

Insuper et illud notandum, quod quum ante absoluta humaniora, ut vocant, plerumque nemo recipi in congregationem regularem valeat, ejusmodi juvenis, propter vocationem divinam e seminario dimissus, in summum discrimen deduceretur.

Sed jam satis multa de impensis educationis deque controversia pecuniaria. Superest, ut denique post omnia alteram obligationem particularem leviter tangamus, qua clerici propriae dioeceseos servitio per aliquot annorum spatium obstricti censeri possunt. Sit igitur

§ II.

De obligatione dioecesi per aliquot annorum spatium serviendi.

43. Quaestio haec maxime ad usum earum ecclesiarum Cisalpinarum transfertur, quarum consuetudo esse videtur, ut clerici omnes propriae dioeceseos servitio per triennium obstricti, evoluto triennio autem liberi solutique censeantur. Et hanc consuetudinem probare videtur auctor

Praelectionum juris canonici in seminario s. Sulpitii habitarum annis 1857—1859, pag. 248, tom. 2, haec scribens: episcopum non debere nec posse *regulariter loquendo* suum assensum denegare clerico postulanti *liberum religionis ingressum*, nisi tamen *„clericus gratuito fuerit educatus sub conditione quod saltem per tempus determinatum in dioecesi commoraturus sit sub regimine episcopi.“*

Quaeritur ergo, utrum clerici, qui propriae dioeceseos servitio sive ex pacto, sive ex promissione, sive ex consuetudine per aliquot annorum spatium obstricti existunt, religionem ingredi possint, *determinato annorum spatio nondum evoluto?*

Pendet hujus quaestionis solutio ex decisione generalis illius controversiae, quam doctores catholici, *de justitia et jure* disputantes, in capite *de restitutione* diligentissime perpendunt. Ponunt quaestionem nimirum, utrum ille qui se obligavit (cum juramento vel sine illo) ad opus aliquod in alterius favorem seu utilitatem faciendum, vel ad servitium exhibendum, religionem ingredi possit, eo opere nondum exhibito?

De hac controversia late ultra alios more suo agit *Sanchez*, in altera parte allegati capitis 19. libri 4., Joan. cardin. *de Lugo* loco item citato n. 73 seqq., et interpretes sancti Thomae in 2—2, q. cit., uti videre est apud *Ad. Tanner*, tom. 3., disp. 6, q. 3, a. 5.

Jamvero summa eorum, quae probati scholae doctores juxta laudatos tres magistros Sanchez, Lugo et Tanner tradunt, eo redit ut dicant, posse hominem tali ratione obligatum ad opus aliquod in utilitatem alterius praestandum ad religionem transire, non exspectato biennio vel triennio ad opus illud exhibendum. Et hanc sententiam a gravissimis viris propugnari docent, ex quibus Sanchez l. c. *septemdecim* accurate allegat et sequitur (n. 31); ea tamen correctione adhibita (n. 32), ut transitum ad religionem statim fieri posse dicat, *nisi tamen alia obligatio justitiae accesserit*, qua ratione injuriae vel damni illati transiturus teneatur restituere, tunc enim — verba sunt Sanchesii — de adstricto illa restitutione, an possit religionem ingredi, judicandum erit perinde ac de adstricto

aliis debitis, juxta ea quae supra q. 1, §. 1 hujus capitis diximus, quod notavit etiam Azor., lib. 11, c. 5, q. 4.

Priori huic limitationi cardinalis de Lugo aliam ex aliis doctoribus depromptam subjungit citato n. 73. Si tamen, inquit, promissa est *res determinata*, quae *brevi tempore* absolvi potest absque magno incommodo debitoris, credo differendum esse ingressum, donec absolvatur, ut notarunt Hostiensis, Speculator, Antoninus, Abbas et Astensis locis apud Sanchesium citatis. . . . Quando promisisti v. g. pacto oneroso imaginem depingere, quam brevi tempore perficere poteris, et aliunde non pateris grave detrimentum ex ea dilatione, non video, cur non debeas perficere.

Tanner e contra cum suis simpliciter docet l. c. n. 139, §. 2, promissiones ac obligationes, *etiam juratas*[1]), a religionis ingressu neminem impedire, ut si jurasses, te in certos annos aut perpetuo serviturum aegrotis vel alicui principi.

Rationem hujus doctrinae desumunt citati doctores *ex praesumpta intentione* eorum, qui onus in se suscipiunt; in ejusmodi obligationibus enim semper illam conditionem: „*nisi ad religionem transiero*[2])“ intelligi debere dicunt; uti constat in promissione matrimonii, cui, quantumvis jurejurando firmatae, ea conditio inesse noscitur[3]).

Atque hinc advertendum est cum Cardinali de Lugo n. 67, loquendo *de possibili*, posse debitorem seu quemcunque alium obligare se *expresse*, quando obligationem suscipit, non solum ad solvendum debitum vel ad praestandum opus, *sed etiam ad manendum in saeculo* usque dum obligationi satisfecerit. Sed in hoc casu diligenter ponderandum est, ad id, ut religionis ingressus censeri possit exclusus ab eo qui se obligavit, exigi verba eum transitum *expresse* excludentia, nec sufficere vocabula obligantia ad aliquid incompatibile, quia in his semper includeretur conditio: *Nisi transitus ad religionem placeat.*

---

[1]) Cfr. Innocent., in rubr. c. *Magnus*, de obligat. ad ratiocinia supra pag. 94.

[2]) Sanchez, loc. cit., n. 31, et Lugo, n. 73, alibi.

[3]) Sanchez, *de Matrimonio*, l. 1, disp. 43, n. 3 sqq.

Atque ita, etiamsi quis jurasset foeminae, se cum ea consummaturum matrimonium, vel in perpetuum eam habiturum uxorem, posset ante consummationem religionem ingredi. Quia — et haec est argumentatio Sanchezii l. c. n. 38 — quum *expresse* hic transitus non sit exclusus, habet illa promissio in se illam conditionem imbibitam: *Nisi ad religionem transiero.* Ergo purificata conditione et posito transitu ad religionem cessat obligatio.

44. Et ita quidem gravissimi scholae magistri de quaestione generali. Quae vero si ad casum nostrum traducantur, haec, puto, erit solutio quaestionis de clericis propositae, qui ad serviendum alicui ecclesiae obstricti existunt:

1. Si obligationi Ecclesiae serviendi alia obligatio justitiae accesserit, qua ratione injuriae vel damni illati teneantur aliquid restituere: tunc de restitutione illa judicandum erit sicut de obaerato deque adstricto aliis debitis; secus vero,

2. Obligati ad serviendum Ecclesiae in certos annos, in alia dioecesi quidem non poterunt servire tanquam sacerdotes saeculares, sed transire ad religionem semper licebit etiam determinato spatio nondum evoluto; nisi tamen

3. In contrahendo hoc onere se *expresse* obligarint ad manendum in saeculo, usquedum serviendi officio satisfactum fuerit.

Atque hac ratione causam assequimur, qua fit, ut qui in seminariis pontificiis exterarum nationum in Urbe instituuntur propter promissionem *sub episcopis propriarum dioecesum sacra ministeria in salutem animarum exercendi,* a religiosis ordinibus intercludantur, qui vero in aliis collegiis educantur, ea non obstante ad religiosa castra transire possint. Hi nimirum generatim atque indefinite pollicentur, *„velle se, absolutis in seminario studiis, in propriae dioeceseos et episcopi servitium remigrare atque ab hujus obligationis vinculo se solvi non posse nisi solo legitimo apostolatu missionum exterarum, donec ad illas incumbant*[1]*);“* isti vero non simpliciter se obligant ad revertendum in

[1]) Const. cit. Pii PP. IX., *Quum Romani Pontifices.*

patriam vel ad exteras nationes ad juvandas animas, sed *speciatim atque expresse* sibi liberum religionis ingressum praecidunt. „*Juro* — verba leguntur haec in juramento collegii Germanici — *juro . . . me in patriam ad juvandas animas remigraturum, etiam ante constitutum studiis ordinarium terminum, si ita animarum saluti . . . visum fuerit expedire. . . . Insuper spondeo ac juro, quod dum in collegio permanebo, et postquam ex eo, sive completis sive incompletis studiis exiero, ante elapsum triennii terminum, sine Apostolicae Sedis licentia vel post triennium sine licentia Eminentissimorum Cardinalium Protectorum nullam religionem, societatem aut congregationem regularem ingrediar, nec in eorum aliqua professionem emittam. . . . Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia*[1]).“

Ergo Germanici, Propagandistae et aliarum nationum Collegiorum alumni propter *expressam obligationem* manere in saeculo debent, usquedum conditionibus in juramento memoratis satisfecerint; alumni seminarii Pii contra, quum se non obligent verbis transitum in religionem *expresse* excludentibus, obligationem in dioecesim remigrandi[2]) in se suscipere censendi sunt sub tacita illa conditione: *Nisi ad religionem transiero.*

Quam distinctionem non animadvertens *auctor Praelectionum juris canonici in sem. s. Sulpitii habitarum*, confuse loquendo omnia miscet ac turbat, ita sententiam probans suam (p. 249): „*Quando clericus promisit ante ordinationem obsequium exhibiturum fore suo episcopo per totum vitae decursum, aut per certum tempus determinatum et sub hac conditione promotus fuerit, tenetur stare promissis. Id autem spondere censentur omnes generatim, qui sumptibus seminarii aluntur*[3]), *quoniam aequum est, et maxime rationi consentaneum, ut ei operam suam praestent, cujus beneficio ad dignitatem officii clericalis conscenderunt.*

---

[1]) Cordara, l. 4, n. 28.

[2]) Nisi tamen velint tanquam presbyteri saeculares apostolatus missionum exterarum munere fungi; quo casu etiam in saeculo viventes liberi ab obligatione in dioecesi propria serviendi erunt.

[3]) Quam assertionem ut justo numero putes, recolenda ea sunt, quae supra, n. 40, q. 2, habentur.

Quod si vero confirmare assertum suum velit ex adducta Pontificis Constitutione *Quum Romani Pontifices*, repellendus est, quum Sanctissimus Dominus, alumnos Seminarii Pii ab aliis dioecesibus et officiis[1]) intercludens, ne verbum quidem habeat, ex quo erui possit, ipsis liberum religionis ingressum praecidi.

45. Ad commentarii hujus nostri absolutionem tandem quaeritur: *Utrum libertas clericorum religionem ingrediendi sit etiam intelligenda de ingressu in congregationes religiosas cum votis simplicibus tantum?*

Distinctione facta inter congregationes, quae essentiam status religiosi habent[2]), et eas quae statum religiosum non attingunt, respondet Bouix[3]): „Quamvis vox *religio* frequenter usurpetur pro designandis particulariter iis ordi-

[1]) Qualia recensentur in juramento Collegii Germanico-Hungarici.

[2]) Recole quae superius dicta sunt pp. 7 sqq.

[3]) *De jure regularium*, part. 4., sect. 1., § 2., prop. 3. — Nullo inter utrasque facto discrimine, Kalendarium pontificium „*La gerarchia cattolica e la famiglia pontificia*," (editum Romae typis fratrum Monaldi) praecipua ejusmodi instituta, quae sensu tituli decretalium de regularibus (III., 31), religiones formales non sunt, sub generali titulo „*Congregazioni ecclesiastiche*" recenset. Ea eorum catalogum ex anno 1885, pp. 441 — 445: 1. Dottrinarî; 2. Pii operaî; 3. Sacerdoti della missione; 4. Sulpiziani; 5. Eudisti; 6. Società per le missioni estere di Parigi; 7. Sacerdoti dello Spirito santo e dell' immacolato Cuore di Maria; 8. Sacerdoti del SSmo. Redentore; 9. Passionisti; 10. Oblati di Maria immacolata; 11. Oblati di Maria Vergine; 12. Missionarî del prezioso Sangue; 13. Compagnia di Maria (Padri Maristi); 14. Dei Sacri Cuori di Gesù e di Maria; (Picpus); 15. Dei Sacri Cuori di Gesù e di Maria; 16. Istituto della carità; 17. Della santa Croce; 18. Pia società delle missioni (Pallottini); 19. Sacerdoti della Risurrezione; 20. Sacerdoti del SSmo. Sagramento; 21. Salesiani; 22. Missionarî del S. Cuore di Gesù d' Issoudun; 23. Missionarî del Cuor immacolato di Maria. — Iis accedunt sub speciali rubrica „*Istituti religiosi*": 24. Fratelli Celliti o Alessiani; 25. Fratelli delle scuole cristiane; 26. Fratelli di N. Signora della misericordia; 27. Fratelli Maristi. — Sed istae sunt nonnullae tantum ex praecipuis familiis sacris, quae a ratione religionis formalis deficiunt; adeo quippe in variis institutorum piorum catalogis leguntur multiplicatae, ut vel uno hoc saeculo 19. amplius 200 reperiantur a S. Sede vel laudatae vel etiam approbatae. Cfr. Acta S. Sedis, t. 1., pp. 92—93.

nibus, qui vota solemnia habent, saepe tamen intelligenda venit indiscriminatim de omnibus regularium familiis status religiosi essentiam habentibus, sive simplicia sint, sive solemnia ipsarum vota. Porro in textibus, qui clericis dictam vindicant facultatem religionem ingrediendi, vox *religio* in hoc latiori sensu desumenda est. Ratio enim legis non est solemnitas votorum, sed natura et perfectio status religiosi[1]). Quum ergo dictae congregationes, non obstante votorum simplicitate, veri status religiosi essentiam habent, sub lege comprehendi censendae sunt; id est, censendae sunt de iis esse, quas ingredi valent clerici absque obtenta episcopi licentia."

---

[1]) Solutioni hic datae aliquid novi luminis ex iis affunditur, quae Icti. de interpretatione illius legis disputant, quae simul sit odiosa et favorabilis; sacri canones enim, qui clericis libertatem religionem ingrediendi asserunt, favorem cum odio conjungunt: favorabiles sunt ex parte religionis, quum pro ea favorem ac beneficium contineant; pro dioecesi contra odiosis accensentur, utpote qui obligationem imponunt clericos non sine aliquo incommodo dimittendi. Jam vero in determinanda natura atque interpretatione ejusmodi legis, in qua odium a favore nequeat separari, certa est doctorum sententia, principalem scopum legis esse attendendum, ita ut favorabilis habeatur, si favorem praecipue spectet, secus odiosa. (Cfr. gl. in c. *Statutum* 3. v. numerandum, de praebend. in 6.). Ecclesiam autem in statuenda clericorum libertate religionem ingrediendi non odium spectasse, ut scilicet dioecesi incommodum afferret aut poenam infligeret, sed vero beneficium ac favorem, ut clericis nimirum liberam facultatem ad summum bonum tendendi assereret, ex iis manifestum est, quae disputata superius sunt de excellentia status religiosi pp. 38 seqq. Favorabilis ergo quum sit, plenissimam interpretationem lex admittit, nec restringi ad religionem stricte dictam potest, sed extendi ad omnem vivendi modum debet, qui essentiam status religiosi attingere dignoscitur. — Caeterum similem vocabuli *religionis* extensivam interpretationem, etiam in aliis constitutionibus, quae apparenter sint odiosae, fieri videmus: ut ecce, in irritante illa lege, qua s. Ignatius, Sancta Sede probante, eos irregulares atque inde a societate Jesu exclusos declaravit, qui *habitum alicujus religionis jam sumpsissent* (Exam. gen. c. 2); quamvis enim canon iste ex ea parte odiosus esse videatur, quod de libertate ordinis quoad recipiendos socios nonnihil detrahat; ex expressa intentione legislatoris tamen eo spectat, ut societati insignem favorem magnumque commodum afferat, quatenus nimirum sanctus fundator, provido hoc impedimento dirimente in antecessum statuto, majori religiosorum in sua vocatione, firmitati meliorique Dei servitio voluit circumspecte consultum.

An vero etiam congregationibus, a status religiosi essentia deficientibus, v. g. Lazaristarum[1]) et Sulpitianorum, clerici nomen dare valeant absque licentia episcopi, idem auctor injudicatum relinquit.

Quaestioni solvendae inservire poterit nupera decisio pontificia ad litem quamdam componendam data a. 1882, ubi clericis generatim asserta legitur canonica libertas „*statum majoris perfectionis*“ amplectendi. Ejus Causae Acta, quia idonea sunt universo hujus disputationis argumento illustrando nec passim obvia, ad extremum hic adscripsisse a proposito nostro alienum non fuerit. — Quum scilicet aliquis episcopus Bavariae necessitatibus dioecesis suae omni meliori modo provisurus, ad id consilii devenisset anno 1881, ut neminem ex suis alumnis ad sacerdotium promoveret, qui se non antea in scriptis ad haec duo obligasset: 1° ad serviendum dioecesi in statu sacerdotis saecularis saltem per sex annos, et 2° ad restituendos sumptus educationis casu quo — post illos sex annos elapsos — dioecesim, ex qua demum cunque causa, relinquere vellet: quatuor diaconi, per has conditiones sibi propositas de canonica libertate nimium quantum detrahi rati, subscribere non minus reverenter quam firmiter recusarunt. Exinde ab ordinatione repulsi ad Sedem Apostolicam recurrerunt, quae post maturum examen casus, per organum Congregationis negotiorum extraordinariorum rem ita composuit, ut quatuor candidati quidem ordinationis beneficium *ad mentem Pontificis* ab episcopo peterent, episcopus vero, praevio recessu a sua dispositione facto, oratores absolute, h. e., sine illa conditione, ad sacerdotium promoveret. Erat autem mens Pontificis, ut quatuor illi diaconi episcopo obedientiam canonicam sancte promittendo non amitterent libertatem *statum majoris perfectionis* amplectendi. En igitur quae ex Actis huc faciunt:

I.

Literae reversales (Revers) candidatis propositae.

Unterzeichneter, welcher durch eine Reihe von Jahren die Wohlthaten der Diöcesan-Seminarien in ....., die

[1]) „*In votorum emissione nemo intersit, qui ea acceptet nomine congregationis aut Romani Pontificis . . . Dicta Congregatio sit de corpore cleri saecularis.*“ Ita Alexander PP. VII. Constit. *Ex commissa,* ed. d. 22. Septemb. 1655.

zu dem ausgesprochenen Zwecke der Heranbildung eines Diöcesanklerus für das Bistum ..... von den Gaben der Diöcesanen gegründet worden sind und erhalten werden, genossen hat, verspricht auf Handgelübde an Eidesstatt, nach Empfang der hl. Priesterweihe jedenfalls wenigstens sechs Jahre im Bistum ..... als Weltpriester zu wirken und unter keinem Vorwand innerhalb dieser Zeit aus der Diöcese auszutreten, für den Fall aber, wenn er nach Ablauf von sechs Jahren aus welchem Grunde nur immer das Bistum ..... verlassen würde, eine Summe von 2000 Mark — zweitausend Mark — an das Bischöfliche Knaben- bezw. Clericalseminar in ..... zahlen zu wollen, und erklärt, dass er diese Leistung für den angegebenen Fall hiermit ausdrücklich als förmliche Schuld anerkennt und auf jede Einrede dagegen hiemit verzichtet.

..... Juli 1881.

II.

Mens Pontificis oratoribus per Nuntiaturam Apostolicam Monachii significata die 18. Martii 1882.

„Voluntas est SS. Patris, ut quatuor diaconi scribant quam primum proprio ordinario exprimentes sensus filialis obsequii, implorantes gratiam ordinationis in proxima solemnitate paschali, promittentes fideles futuros se esse quoad obedientiam et subjectionem, quam ipsi promittent recipientes ordinem presbyteratus, devovendo se servitio dioecesis cum zelo et perseverantia, si non placeat Deo seipsos vocare aliquando ad statum majoris perfectionis.“

III.

Ex libello supplici episcopo ad mentem Pontificis oblato pro obtinendo s. presbyteratus ordine.

Ad arbitrium et nutum Sanctissimi Patris se totos accommodantes diaconi, episcopo sensus filialis obsequii sincera integraque fide statim expresserunt, humillimis suis precibus pro obtinendo ordinationis beneficio amplissima promissione aperte adscripta, se canonicam obedientiam et reverentiam semper incorrupte ad mentem Summi Pontificis servaturos. . . . „Wollen Euere Bischöflichen Gnaden — verba sunt oratorum — die Versicherung entgegen nehmen, dass die unterthänigst Unterzeichneten fest entschlossen sind, dem Gelöbnisse des Gehorsames

und der Unterwürfigkeit, welches sie bei der hl. Priesterweihe abzulegen sich sehnen, immerdar treu zu bleiben, sowie durch Wort und That Alle, zu denen sie je in irgendwelche Berührung treten werden, zum Gehorsam und zur Unterwürfigkeit anzueifern.

Es ist der ausdrückliche Wille der gehorsamst Unterzeichneten, sich in der Diöcese ..... dem Dienste Gottes und dem Heile der Seelen mit beharrlicher Aufopferung aller ihrer Kräfte zu widmen, *so lange es Gott nicht etwa gefallen sollte, sie zu einem vollkommeneren Stande zu berufen.* . . .“

Accepta hae epistola episcopus a priori sua ordinatione (de literis reversalibus subscribendis) recedere ac justis suorum votis benigne satisfacere properavit, in collatione presbyteratus ordinis, quam statim (feria III. hebdomadis paschalis, seu die 12. Aprilis) celebrari voluit, communi obedientiae et reverentiae promissione contentus.

Epilogus.

Praemonitum. De occasione scribendi. Commentarium e simplici consilio juridico in hanc opellam excrevisse. — Introductio. De hujus Commentarii instituto deque ejus divisione et partibus. — Caput I. In quo de *Natura ac praestantia vitae religiosae* disputatur. Tractationis ratione exposita ostenditur, statum religiosum vitae saeculari immensum antecellere. Per tria religionis vota *primo* omnia impedimenta perfectionis christianae auferri (n. 1—2), omnem *deinde* inordinatam animi inquietudinem excludi (3), *demum* perfectam holocausti hostiam Deo offerri (4). Ex dictis duo colliguntur (5). Vitam religiosam non solum iis esse proponendam, qui jam sunt in praeceptis exercitati, declaratur ex sententia sanctorum Patrum, maxime ss. Thom. Aquin. (6), Gregorii M. (7), Petri Damiani et b. Romualdi (8). Quomodo cum his una mente et voce consentiat Benedictus PP. XIV. (9). Periculosum esse vocationi ad statum religiosum non obtemperare ostenditur auctoritate s. Bernardi et s. Petri Damiani (10). De peccato eorum, qui alium a capessenda religione deducunt,

s. Ambrosii et s. Raymundi sententia (11). An excusationem habeat, qui hominem sibi subditum ab ingredienda religione deterret? Sanctorum Gregorii M., Petri Damiani et Gregorii Turonensis pro negante parte dissertatio (12). Superiorum omnium epilogus (13). — Caput II. In quo *sanctiones canonicae de libero clericorum ingressu in religionem,* exponuntur. Quid de eo Patres scriptoresque ecclesiastici inde a saeculo 6. ad praesentem usque aetatem censuerint. — Exponuntur particulatim testimonia s. Gregorii M. (15), Conciliorum Hispaniae (16) ac Germaniae (17—18), Urbani PP. II. (19), Gratiani (20), Innocentii PP. IV. (21), s. Thom. Aquin. (22), s. Antonini et Panormitani (23), Silvestri (24), Sylvii, Azorii, Bonacinae et Schmalzgrueber (25). Eorum doctrina curis Benedicti PP. XIV. sedulo explanata constitutione *Ex quo* (26) ac tandem confirmata auctoritate s. Alphonsi de Liguori (27). De ratione deprompti e sacris canonibus argumenti (28). — Difficultatibus satisfit atque in primis iis, quae clericos quoscumque omnes religionem ingressuros spectant. Quae fuerit opinio Quirini Cardinalis et Vigilantii haeretici (29). Maximam quidem vim esse obedientiae canonicae in ordinatione promissae, extendi tamen eam non debere ad casum ingressus in religionem, aperitur ac vindicatur argumentis ex s. Gregorio M. (30) atque ex Benedicto PP. XIV. (31) desumptis. Exponitur quorundam opinio, qui licentiam episcopi requirunt ratione privilegii aut immemorialis consuetudinis. Haec vero confutatur auctoritate ac rationibus Fagnani, Benedicti PP. XIV., aliorumque jurisperitorum (32). Sitne licentia episcopi saltem petenda? Triplici licentiae genere accuratius expenso (33) licentiam proprie dictam peti non debere, e jure canonico monstratur. Congregationis Roman. de obligatione episcopi literas dimissoriales concedendi memorabile decretum. Quandonam clerici religionem suscepturi consilium suum communicare cum Ordinario debeant (34). Vigilantii nugae, ob liberum clericorum in religionem ingressum fieri, *ut plebes remaneant absque cura pastorum,* breviter attinguntur. Hisce oppositae veterum Patrum ac s. Thomae Aq. verae sententiae (35). Quae difficultates quosdam clericos e dioecesi discessuros in particulari spectent. Earum enodatio

ultimo capite proponitur. Caput III. *De sumptibus in educationem clericorum factis* quaeritur, utrum sint dioecesi restituendi? Quaestionis ratio et tractationis institutum exponitur. Statu quaestionis constituto recensentur plures insignes Theologi summistae, qui doctrinam ss. Thomae Aq. et Antonini secuti, asserunt, posse hominem aere alieno pressum, debitis non solutis, ad religionem transire, si solvendo non sit. Grandis canonistarum globus eandem sententiam propugnat (37). Quid, si spes sit, fore ut debitor *brevi tempore* manens in saeculo debita solvere possit? Lessii, de Lugo, Salmanticensium aliorumque doctorum cum iis consentientium hac de re sententiae. Occurritur difficultatibus ex Bulla Sixti PP. V. *Quum de omnibus* collectis (38). Ex disputatis de libertate hominis aere alieno pressi statum religiosum amplectendi consectaria eruuntur atque illud imprimis, clericos publice educatos ad restitutionem sumptuum educationis suae non teneri (39—40). Doctoris Bouix insignis locus explicatur et illustratur. Ad examen revocantur conditiones, quas episcopi ingressuris in seminarium ponere possint relate ad educationis impensas postea restituendas, si forte nexu dioecesis solvi velint. Quam viam s. Carolus Borrom. tenuerit (41—42). — *De obligatione dioecesi per aliquot annorum spatium serviendi* apertius disputatur. Quaestionis illius occasio atque utilitas. Recensentur argumenta, quibus sexcenti omnis ordinis doctores probant, memoratam obligationem non existere (43). In asserenda hac clericorum libertate aliquando tamen moderationem quandam adhibendam esse, monstratur exceptionisque fundamentum paucis exponitur. Quo jure hac in parte regantur alumni Collegiorum Pontificiorum de Urbe (44). Ad commentarii absolutionem tandem quaeritur, an ea, quae disputata de libero clericorum ingressu in religionem sunt, transferri etiam possint ad congregationes religiosas cum votis simplicibus tantum? Dubio solvendo inservire posse videtur nupera decisio pontificia anni 1882, qua clericis generatim asserta legitur libertas *statum majoris perfectionis* amplectendi: cujus decisionis rationes ex ipsis Actis authenticis illustratur (n. 45).

Appendix ad pp. 5—6.

De sodalibus votorum simplicium societatis Jesu.

Docet cl. auctor *Commentariorum in Constitutionem* Apostolicae Sedis, in appendice ad Acta S. Sedis[1]), sacram Congregationem episcoporum et regularium in decreto die 16. Septembris 1864 (in Causa congregationis SS. Redemptoris edito) affirmare, alumnos votorum simplicium in societate Jesu ideo tantum religiosos esse, quod eos Gregorius PP. XIII. per constitutionem *Ascendente Domino,* editam die 25. Maji 1584, ex singulari privilegio, ad instantiam ipsius societatis concesso, ut tales declaraverit.

Falsam esse eam sententiam, ex ipso inspecto intellectoque decreto patet.

In decretis sacrarum Congregationum Romanarum duae partes sunt apprime distinguendae, scripturae praeparatoriae et ipsa decisio s. Congregationis. Ad priorem partem praeter alia spectant libellus supplex oratoris, memoriale postulatoris Causae, exceptiones, quae vel ex officio fiunt a promotore fidei vel ab advocatis ad id constitutis, opus secretarii, quo argumentum exponitur ac praecipua rationum momenta, quae decisionem praeparare possunt, adducuntur[2]). Altera pars autem brevi illa responsione continetur, quam s. Congregatio ad propositam dubii formulam dat. Haec sola a Congregatione proficiscitur, ejusque genuinam atque authenticam sententiam refert, dum prior ad doctores privatos pertinet, cujus auctoritas in tantum valet, in quantum *meliora juris fundamenta non suppetunt.*

---

[1]) Append. 27., tom. 1., pp. 1017—1020.

[2]) Cfr. quae de scripturis in Congregationibus distribui solitis animadvertimus in opere *de rationibus festorum utriusque SS. Cordis,* t. 1., pp. 8—10, edit. 5.

Jam vero mentionem opinionis illius, scholasticos societatis Jesu ex privilegio Gregoriano demum religiosos evasisse, non in Congregationis responso, sed in scripturis praeparatoriis occurrere, manifestum est. Quod ut lector ipse videat, documentum in forma extensa hic sistimus; quamvis enim scripturae illi falsae opinioni favere videantur, sunt tamen alia ex parte multis et egregiis refertae rebus, ac dignae plane, quae a juvenibus academicis explorentur, qui tempus in juris sacri cognitione consumunt.

Congregationis Sanctissimi Redemptoris
super privilegiis.

Moderator generalis congregationis SSmi. Redemptoris[1]), cujus alumni vota simplicia perpetua profitentur, supplices preces sacrae Congregationi episcoporum et regularium porrexerat, ut declararet: 1. professos in dicta congregatione esse ab episcopali jurisdictione exemptos, iis exceptis quae ad curam animarum, sacramentorum administrationem pertinent; tum etiam exceptis casibus, in quibus ordinariis jure delegato competit jurisdictio juxta formam ss. canonum, concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum; 2. eosdem professos esse vere ac proprie dictos religiosos: ita ut ea congregatio in statu vere religioso constituta habeatur, ejusque professi sint de clero regulari, quamvis vota solemnia non emittant; *aut* (quemadmodum Gregorius XIII. in bulla *Ascendente Domino* pro alumnis societatis Jesu, qui vota tantum simplicia emittunt, declaravit) „*Sanctitas Vestra edicere dignetur, alumnos nostrae congregationis esse vere religiosos.*“

(Disceptatio prioris partis extat in Actis S. S., t. 1., pp. 91—98. Eam in pauca rite collectam habes in Archiv für kath. Kirchenrecht, t. 17., pp. 452—455).

---

[1]) In editione decreti, quam Emus. card. Bizzarri usibus secretariae Congregationis episcoporum et regularium pro similibus casibus judicandis accommodavit, pro nomine proprio *congregationis SSmi Redemptoris* infinite ponitur *congregatio presbyterorum NN*, in titulo quidem: *congregationis presbyterorum regularium NN.*, in dubii formula Emis. cardinalibus proposita vero: *congregatio presbyterorum saecularium NN.*

„Ad secundum postulatum quod attinet, moderator generalis autumabat, alumnos suae congregationis esse vere religiosos; nam ad constituendum statum religiosum non requiritur jure divino, sed ex sola ecclesiae institutione, solemnitas votorum, prout Gregorius XIII. in cit. bulla declaravit, eo vel magis quod ejus congregatio, a Summis Pontificibus, licet per incidens, tanquam religiosa familia enunciata sit; nam Leo XII. in literis Apostolicis in forma brevis diei 11. Martii 1828 habet: *Inter religiosas familias . . . non infimum tenet locum . . . congregatio*[1]). Et Pius VIII. in decreto lato die 31. Julii 1830, quo kalendarium proprium congregationi, de qua agitur, concessit, edicebat: *caeteris regularibus Ordinibus accessit congregatio*[2]). — Quod si de hac qualitate certe non constaret, summopere expedire existimabat idem moderator generalis, ut per speciale indultum qualitas ipsa concederetur, ita ut ipsa congregatio non tantum ecclesiastica, sed regularis sit; nam efficacior esset capitulorum celebratio, et sacra superiorum visitatio, et frequentiores in eam postulantium ingressus, eo quod postulantibus grave sit, congregationem ipsam esse ecclesiastico-saecularem, non vero regularem, et per consequens ejus alumnos non vere religiosos. Addebat etiam, in ea professionem solemniter fieri, et a superioribus acceptari.

„Sed ex officio sequentes animadversiones opponebantur. Verum quidem est, quod solemnitas votorum non sit jure divino essentialis statui religioso, requiritur tamen ad illum statum constituendum de jure ecclesiastico[3]); quare non est verus religiosus juxta ecclesiae disciplinam, qui solemnia vota non emittit, sed dumtaxat vota sim-

---

[1]) Habetur in Bullar. Rom. contin., t. 17., pp. 342—343.

[2]) Hoc Decretum legitur praefixum Proprio officiorum ejusdem congregationis edit. Campoduni typis Koeselianis.

[3]) Vocabulum *status religiosi* auctor hic non sumit generatim pro omni modo vivendi, qui essentiam status religiosi attingit, sed speciatim pro formali religione in stricto sensu tituli *de regularibus et transeuntibus ad religionem*, h. e., pro eo vivendi modo, qui praeter principia constitutiva status religiosi etiam vota solemnia habet; et qui praeter alia privilegia et illud possidere consuevit, ut ejus moderator generalis concilio generali intersit.

plicia profitetur, nisi speciale et expressum S. Sedis indultum accedat, quo ecclesiae disciplinae derogetur. Porro Apostolica Sedes nunquam hoc privilegium concessit, si excipias societatem Jesu, in qua professi votorum simplicium, quae post biennium probationis emittuntur, a Gregorio XIII. vere religiosi declarati fuerunt. Notandum tamen est, id ex specialibus causis factum fuisse; et vota simplicia habenda esse in casu uti viam et praeparationem ad solemnium votorum professionem, ad quam ex eorum institutione tendunt, et tales professos votorum simplicium esse de corpore societatis vere regularis vota solemnia profitentis; quod locum non habet in congregationibus, in quibus professio sistit dumtaxat in votis simplicibus.

„Proferebantur in exemplum presbyteri doctrinae christianae, qui erant ab initio clerici saeculares, quia profitebantur vota simplicia; sed deinde Somaschae congregationi uniti, ideoque solemnia vota emittentes, ad gradum clericorum regularium provecti sunt. Postea vero dicta unione revocata ab Innocentio X. per literas apostolicas *Commissi* anni 1617, exorta est quaestio: an ipsi clerici regulares remanserint; et laudatus Pontifex const. *Pastoralis officii* diei 30. Augusti 1652 declaravit, esse et fore uti ab initio clericos saeculares.

„E contra clerici *Matris Dei,* qui ex const. Clementis VIII. de clero saeculari erant, quia vota simplicia emittebant, postea ad gradum clericorum regularium evecti fuerunt, quum Gregorius XV. eis professionem votorum solemnium permiserit. — Neque aliquid facessere arbitrabatur, quod congregatio, de qua agitur, in superius allatis documentis, religiosis familiis et ordinibus regularibus aliquo modo aequiparatur; nam haec appellatio non in parte dispositiva, sed in enunciativa tantum memorati brevis et decreti legitur; neque ullo modo in eis de qualitate congregationis agitur, sed de privilegio admittendi alumnos ad ordinationem titulo *mensae communis,* et proprium Kalendarium habendi; etenim ex cap. *Si Summus Pontifex,* de sent. excom. et ex const. Gregorii XVI. *Sollicitudo* ed. Nonis Aug. 1831 ex appellatione et titulo, qui alicui in enunciativa tribuitur, aliqua dignitas vel jus, quo antea legitime non fruebatur, ei revera per dictam

enunciationem et appellationem minime concessum intelligi debet[1]).

„Nec solemnitas professionis aliquid suffragatur; etenim non solemnitas, seu pompa externa constituit statum religiosum, nec acceptatio votorum ex parte superioris[2]), sed solemnitas votorum quae nomine ecclesiae acceptantur[3]). Quapropter hujusmodi congregationes improprie appellantur ordines, religiosae familiae, et earum alumni religiosi, non vero proprie et stricto sensu, ita ut in statu vere religioso constituantur.

„In hujus quaestionis disceptatione universa rei ratio diligenter perpensa fuit; et proposita fuerunt sequentia dubia in generali conventu diei 16. Septembris 1864.

1° An, et quomodo conveniat declarare, quod congregatio SSmi. Redemptoris fruatur nomine (qualifica) *vere regularis*; et an saltem in casu ejusmodi nomen gratiae titulo ei sit concedendum?

2° An, et quae exemptio ab episcopali jurisdictione ei spectet in casu?

Quibus Emi. Patres, referente Emo. Quaglia praefecto, rescripserunt:

Ad 1. Ad primam partem: non esse *vere regularem;* ad secundam partem: *non expedire.*

Ad 2. Attento speciali privilegio praedictae congregationi a S. Sede concesso: *affirmative* ad formam et modum rescripti diei 21. Septembris 1771 favore clericorum excalceatorum SSmae. crucis et passionis D. N. J. Ch.

16. Septembris 1864."

---

[1]) Adducta decretalis *Si Summus Pontifex* habetur c. 4. de sent. excom. Clem. (V., 10) et est hujusmodi: „Si quem (Summus Pontifex) sub titulo cujuslibet dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione vel literis, nominet, honoret, seu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligatur, aut quicquam ei tribuere novi juris."

[2]) Praeterea enim requiritur professio, de qua dictum superius est pp. 10—11.

[3]) Ex hoc inciso iterum patet, auctorem non agere de statu religioso generatim sumpto, sed speciatim quaerere de religione formali, ad quam constituendam ex jure decretalium ipsam votorum solemnitatem requiri superius jam monuimus et heic repetivimus p. 127.

Est ergo manifestum, Emos. cardinales S. Congregationis episcoporum et regularium nihil omnino habere de memorata opinione, sodales societatis Jesu cum votis simplicibus tantum ex Gregorio PP. XIII. id tandem per speciale privilegium nactos esse, ut sint vere proprieque religiosi.

Ipsam opinionem autem in se spectatam quod attinet, repeti id debet, quod superius de ejus falsitate animadversum est p. 6; Gregorius enim expresse docet, praedictos sodales, *in perpetuum Dei servitio votis simplicibus in societate Jesu consecratos, ex Sanctae Sedis institutione*, ante editam constitutionem *Ascendente Domino* jam extitisse vere et proprie dictos religiosos[1]), se ipsum vero per dictam constitutionem *motu proprio*[2]) idem ea de causa declarasse ac confirmando constituisse, quod non ita pridem intellexisset, hanc veritatem per temerariam quorundam audaciam oppugnari, indeque nonnullorum animos sollicitari[3]).

---

[1]) Rationibus, quibus adductis Gregorius hic declarat, cur scholastici S. J. sint veri ac proprie dicti religiosi, omnia illa elementa continent, quae ad statum religiosum constituendum requiri superius ostendimus pp. 7—13, nimirum: observationem trium consiliorum evangelicorum perpetui voti obligatione firmatam, vitam coenobiticam *(in societate Jesu)*, approbationem Summi Pontificis *(ex S. Sedis institutione)*, et eam, quae per professionem Dei servitio facta est, hominis consecrationem; quamvis Pontifex, loquendi usum tunc communiter receptum secutus, traditionem juxta ordinis constitutiones acceptatam, vocabulo *professionis* non designet.

[2]) Hoc est, *non ad alicujus super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera voluntate et deliberatione* C. *Etsi* 5. de poenitentiis et remissionibus. Extrav. (V., 9).

[3]) De temeraria hac adversariorum audacia videsis librum 5. Vitae Petri de Ribadeneyra a J. M. Prat accurate conscriptae, quae per M. Gruber e gallico in germanicum sermonem fideliter translata nuperrime prodiit Ratisbonae apud G. J. Manz, hoc praenotato titulo: *Leben und Wirken des R. P. Peter de Ribadeneyra, aus der Gesellschaft Jesu. — Eine Episode aus der Kirchengeschichte*

III.

DE STUDIO REI KALENDARIAE

CLERICIS PRAESCRIPTO ET IN ACADEMIIS PROMOVENDO.

Accedunt disputationes duae:

I. De mira kalendarii forma non ita pridem a Russis proposita. — II. De veris rationibus christiani Paschatis rite agendi, cum variis tabellis paschalibus ad usus academicos accommodatis.

Juvenes in seminario recepti
computi ecclesiastici disciplinam discent.

Conc. Trid. sess. 23., c. 18. de reform

De studio rei kalendariae in academiis promovendo.

ARGUMENTUM. Notione academiae generatim exposita (1), ex ordine disseritur de exercitationibus academicis circa heortologiam sacram (2) ac computum ecclesiasticum (3—10). — Novae formae kalendarii a Russis commendatae propria indoles aperitur (11—13) nostrumque de ea judicium (13) genuinis rationibus de Paschate rite agendo illustratur (14—17). — Ad extremum proponuntur selectae quaedam tabulae paschales usibus academicis inserviturae.

Caput I.
De academiis kalendariis.

§ I.
De academiis generatim.

1. Academias, quas recentiores *seminaria* vocare solent, Josephus Seybold cum scriptoribus *δδηγηταῖς* definit[1]) exercitationes dogmatum seu principiorum alicujus disciplinae, in coetu auditorum ad hoc exercitium convenientium, sub uno praeside, qui conventum dirigit.

Pervetus est academiarum in universitatibus institutio; eas quippe ordinariis magistrorum praelectionibus subsidio esse illisque inservire atque ancillari voluit antiquitas.

Praelectiones, quae a professore compositae in scriptis ad calamum traduntur, certis tantum dogmatibus constare ac modicis regionibus solent esse circumscriptae; in academiis contra accuratius expenduntur, quae strictim tantum a magistro sunt auditoribus praelegendo tradita; ad omnem rerum verborumque excurritur originem, historiam, sensum; variae quaestiones affines, quae nostrorum

[1]) Jurisprudent. part. 2, fund. 2.

veluti temporum sunt, ac vel primum nunc excitatae vel majori dissidentium partium contentione revocatae, ideoque prae caeteris scitu necessariae, attinguntur; quo una cum seminibus propago quoque studiosis atque seges occurrat materiarum ad vitam perutilium. Haec de academiis generatim.

§ II.

De academiis kalendariis speciatim.

2. Academias kalendarias quod attinet, eae in scholis theologicis institutae ad hunc finem sunt, ut sacrae theologiae auditores utriusque ecclesiae, statis per hebdomadem diebus in coetum collecti, variis exercitiis genuinam kalendarii formam, secretiores dierum festorum rationes atque inde omnem interiorem ac reconditam anni ecclesiastici notitiam arctissimamque occurrentium solemnitatum cum catholico dogmate connexionem addiscerent: qua in re nihil est, quod non sit cum divino cultu ac vera pietate conjunctum.

Plura quidem sunt sacrarum disciplinarum genera, in quibus *heortologia* versatur, ut puta: historia ecclesiastica[1]), archaeologia christiana[2]), jus canonicum[3]), theologia polemica[4]), pastoralis[5]), liturgica[6]); verum qui iis tradendis constituti sunt professores, propter multitudinem rerum explicandarum, solemnium dierum vix aliter mentionem facere solent, quam rei aliunde jam notae, aut certe alibi pertractandae, extremis, ut ajunt, digitis materiam attigisse contenti. Inde non raro fieri videmus, ut

---

[1]) Cfr. De Smedt S. J., *Introductio generalis in hist. eccles.* tract. 2., c. 2. Gandavi, Poelman, 1876.

[2]) Cfr. Mannhart S. J., *De antiquitatibus christianorum,* §. 5. Augustae Vindel., Rieger, 1767. Itemque vide Augusti, *Denkwürdigkeiten aus der christl. Archaeologie,* tt. 1—3. Lipsiae, Dyk, 1817—1820.

[3]) Cfr. Zech S. J., *De jure rerum eccles.* sectio 2., tit. 22. Ingolstadii, Craez, 1758.

[4]) Cfr. Gretser S. J., *De festis Christianorum libri duo:* oper. tom. 5, pars 2, Ratisbonae, Peez et Bader, 1735.

[5]) Cfr. Azor. S. J., *Institution. moral.* pars 2, l. 1. Coloniae Agrippinae, Hierat, 1608.

[6]) Cfr. Ferd. Tetam., *Diarium liturgico-theologico-morale,* tt. 1—8, Venetiis, Savioni, 1779—1784.

multis omnino utriusque ecclesiae ministris nobilissima haec scientia peregrina ignotaque maneat provincia. Cui incommodo ut efficaciter occurratur, satagendum sane est, ut clerici, discendi cupidi, in academicis conventibus iis plene instruantur, quae in ordinariis professorum scholis succincte tantum aut omnino non audierunt.

Accedit in Austro-Hungaria nostra, quod Armeni Graecique, propriis utentes ritibus, cum Latinis permixti habitent eademque kalendaria composita adhibeant, ad regulas utriusque stili exacta ac Christi Domini sanctorumque solemnia in pluribus, iisque secundum diversorum rituum varietatem distinctis, columnis exhibentia: quorum omnium rationes nisi adolescentes tempore studiorum accurate perdidicerint, postea, e scholis semel egressi, nunquam amplius, quae aut ipsi in kalendariis suis legerint, aut ab aliorum rituum fidelibus circum se fieri oculis viderint, mente intelligent. Ea de causa nostratibus diligentia quadam praecipua curandum est, ut juniores clerici per serias academiarum exercitationes hisce materiis exquisitius erudiantur: quo etiam dissensiones de festis celebrandis, quas identidem propter kalendariorum diversitatem incidere necesse est, facilius dijudicari sedarique possint; ac generatim ministri altaris in sacris aliorum rebus pondus et pondus adhibere discant, nec paleam simul cum tritico, zizania cum segete (quod dum interdum factum dicimus, dolenter potius quam contumeliose dicimus) eradicare contendant; immo vero ea probent, ea tolerent, ea damnent, quae in aliis ritibus probari, quae tolerari, quae damnari authentico ecclesiae magisterio edocti cognoverint.

Atque haec omnia a fortiori de iis regionibus valent, ubi quinque vel sex nationes catholicae, propriis servatis ritibus, promiscue habitantes, eodem kalendario, singularum festa exhibente, omnes utuntur. Exemplum ejusmodi kalendarii quincupliciter compositi, in urbe Aleppo editi, Kalendarii tomo 1. subjiciendum curavimus pp. 428—438. — *Taqvîm* Beryti a P. Damiani arabice vulgatum Chaldaeorum festa addit, ut adeo usibus sex nationum sit accommodatum.

Modum quod spectat *kalendarias istas academias* habendi, hunc ferme tenemus. Initio anni scholastici una

alterave hora selecta quaedam capita et prolegomena ex Bollandianis aliisque scriptoribus hagiologis afferimus, unde excitari possint adolescentium ingenia ad negotium hoc liquidius concipiendum. Pro singulis academiarum coetibus deinde lex generalis est, ut quotquot ad eos conveniunt sacrae theologiae candidati, stata vice atque ordine suam proferant brevem aliquam lucubrationem. Quod reliquum est temporis ita dividimus, ut partem alteram expleat rubricae seu canonis computistici expositio, alteram vero repetitio ac rituum inter se facta collatio, additis etiam variis quaestionibus kalendariis ad temporis nostri genium accommodatis. Designata denique materia, de qua proxime sit disserendum, conventus solvitur. Quo nimirum ad fructum efficaciores evadant academiae, earundem materia auditoribus privato studio domi est paranda: qui enim imparati ad coetum veniunt, dispositione carent ad solidum fructum ex academicis discussionibus capiendum.

Hanc praeviam ad coetus praeparationem autem ut faciliorem reddamus, eorum imperat conditio, qui academias frequentant. Praeter enim quam quod paucis bibliothecae praesto sunt locupletes, clerici, dum eodem tempore gravissimis theologiae studiis distinentur, tempus procul dubio non habent, plura eaque non exiguae molis volumina evolvendi atque ex iis non sine labore sat molesto conquirendi, quae ad disputationem proxime indictam pertinent. Quapropter rem bonam facturi nobis videbamur, si in ipsorum commodum atque utilitatem *Ἑορτολόγιον* cum computo, quasi expeditam et obviam cuique heortologii totius methodum, ederemus, quum praesertim ejusmodi *Ἐγχειρίδιον*, quod in promptu ac veluti *ad manum* omnibus esset, ne tentatum quidem ab ullo alio videre nobis licuisset. Huc igitur spectavimus, quum Kalendarium ecclesiae catholicae orientalis, quae cum occidentali[1])

[1]) Nomenclatio *ecclesia orientalis et occidentalis*, inquit Rmus. Papp-Szilágyi, *ὁ μακαρίτης*, a divisione imperii civilis Romani in orientale et occidentale derivatur. Quum tamen evenerit, ut, quemadmodum in Occidente ritus et disciplina ecclesiae Romanae sensim communiter fere receptus sit, ita in Oriente ritus et consuetudines ecclesiae CPolitanae praevaluerint: hodie ecclesia, quae

uno fidei caritatisque spiritu informata intimeque colligata est, ex archetypo graeco diurnis annotationibus, factaque cum latinis fastis collatione, pro usibus academicis conati sumus paucis interpretari adhibito titulo: *Ἑορτολόγιον πρόχειρον ἀμφοτέρων τῶν ἐκκλησιῶν τῆς τε ἀνατολικῆς καὶ τῆς δυτικῆς, πρὸς χρῆσιν τῶν πρωτοπείρων κληρικῶν, Kalendarium manuale utriusque ecclesiae, orientalis et occidentalis, in usum clericorum tironum.*

Quo in labore ante omnia necessariae serviendum erat brevitati; primo enim ingenii et eruditionis nostrae tenuitas fecit, ut nec magna, nec recondita proferre possemus, deinde ipse scriptionis scopus exegit, ut tot res ac tantas tamque varias in kalendario occurrentes nec subtilius pertractare, nec uberius exponere tentaremus, ne onerasse potius lectorem elementarium, quam adlevasse videremur.

Ita vero omnia studuimus facili ac plana methodo nec voluminosa mole complecti, ut labor noster aliis quoque clericis externis, in quorum manus devenerit, neque ingratus, neque inutilis esset futurus.

Sed et ipsis orientalibus, qui praejudicatis erroribus ac consuetudine magis, quam veri odio a sancta Romana ecclesia discedunt, sacra alioquin omneque pietatis genus nobiscum colunt, exilia haec nostra forte lectione dignaturis, quodam etiam modo consulere voluimus, dum aestu omni et quibusvis verborum acerbitatibus longe relegatis, certae probataeque fidei testimoniis ex Actis et scriptis Sanctorum ecclesiae orientalis depromptis, divinum Romani

---

ritum et disciplinam ecclesiae CPolitanae observat peculiariter *ecclesia orientalis* dicitur (Praefat. in *Enchiridion juris ecclesiae orientalis catholicae*). Ecclesia CPolitana ipsa se *ἐκκλησίαν τῶν Ῥωμαίων*, et antistitem suum *ἀρχιεπίσκοπον Κ/πόλεως τῆς νέας Ῥώμης* appellat. Gubernium Ottomanicum patriarchatui CP. similiter nomen *Rúm-Patrikije, Patriarchatus Romanorum*, tribuit, atque inde Christiani omnes ecclesiae CPolitanae seu graecum ritum servantes in toto Oriente *Romani* vocantur; imo et lingua graeca vulgo *ἡ Ῥωμαϊκὴ γλῶσσα* dicitur. Cfr. Pitzipios, *L' église orientale*, introduct. pp. XI—XII. In commentario nostro vocabulum *orientalis ecclesia* latiori sensu accipimus, eoque praeter hos Graecos seu *Ῥωμαίους* alias quoque nationes christianas Orientis (Armenorum, Maronitarum, Syrorum, Chaldaeorum, Coptorum) designamus.

Pontificis Primatum caeterasque veritates ab ipsis in dubitationem vocatas ostendimus: a Christo Deo humiliter enixeque deprecati, ut, quam diu optamus, pacem ecclesiis sanctis ac unionem aliquando tandem restituat.

Caput II.

De studio computi ecclesiastici clericis praescripto.

§ I.

De computo ejusque principiis ac natura.

3. Ductum est nomen computi a *computando,* duplicique ratione maxime sumitur. Proprio sensu acceptus computus ipse est actus numerandi seu *numeratio* vel *numeri assignatio*: qua notione hoc vocabulo praeter alios usi sunt Jul. Firmicus Maternus in libris 8 Matheseos, passim s. Hieronymus epist. 58, et auctor libri *de geometria (al. de casis literar.)* edit. Wil. Goes. pag. 236. Altera seu translata significatione designat *doctrinam et artem numerandi:* qua sententia Walterus Aurelianensis computum simpliciter *calculandi peritiam* dixit.

Computus considerat tempora distincta secundum cursum solis et lunae, definiturque *notitia cursus lunae ac kalendarum seu scientia certificandi tempus secundum solis et lunae progressum* (Durand. *Rational.* VIII. 1). *Secundum solis et lunae progressum* dico, quia materia circa quam agit computista, non est tempus consideratum quolibet modo, sed solum secundum motum solis et lunae.

Dicitur *ecclesiasticus,* quia ecclesiasticis usibus et literis maxime famulatur et collaborat. Cfr. commentarium *de computo eccl.* pag. 178. verb. *Fulbert.*

A variis temporibus, agendi Paschatis praesertim, computandis etiam *computistica* (subaudi *ars*) vocatur; a describendis temporibus autem in dies partesque minores, in hebdomadas, menses, annos et annorum periodos *chronographiae* appellationem traxit: a χρόνος, *tempus,* et γράφω,

scribo. Computum alii generatim *calculandi peritiam,* alii vero *arithmeticam sacram* dicunt: ab ἀριθμός, *numerus,* quod sit scientia tractans de numeris et supputandi ratione.

Recentiori aetate jam *kalendariographia* audit. De cujus vocis significatione et originatione confer quae late disputavimus in commentario *de rationibus festorum mobilium utriusque Ecclesiae,* pp. 4 seqq. et in *Kalendario,* t. 1., p. XXXVII. seqq.

Graecis ψηφισμὸς τῶν τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης ἐτῶν nuncupatur; Hebraeis simpliciter *embolismus* seu *mysterium embolismi,* a parte totum, ut post alios recte animadvertit C. du Fresne in *Glossar.*

Communius vero *computus* dicitur, quod necessarium sit computare solis lunaeque cursum, annos, menses ac dies, ut addiscantur cycli solaris et lunaris, epactae, bissextus, kalendae, idus, quatuor tempora atque alia hujusmodi, quae in computo declarantur.

Differt autem computus tum a chronologia, tum ab historia. *Chronologia* quippe dicitur relatio rerum praeteritarum ad tempora, quibus contigerunt temporumque partes rite descriptas; *historia* in rerum gestarum ac praeteritarum memoria seu narratione consistit; unde nulla nisi praeteriti temporis uti historia sic chronologia esse potest. Hoc tamen inter utramque interest, quod historia rerum silvam atque materiam praebeat, chronologia ordinem ac collocationem, quae instar formae est, suppeditet[1]). In computo, quatenus ab historia ac chronologia distinguitur, universum tempus tum futurum, tum praesens ac praeteritum describi potest atque etiam ad multos annos solet, ita ut κατὰ πρόληψιν secundum eandem formam anni, qua nunc utimur, etiam dinumeremus tempora dudum elapsa, in quibus alia longe forma usi sunt homines. Haec *lib. 2. subsidiar. de chronograph.* Zallinger post Petavium *de doctrina temporum lib. 7. c. 2.*

---

[1]) Seriem et diagramma temporum Graeci κανόνιον vocant, et διατάξαι κανονικῶς Georgio Syncello est *ad proprium temporis ordinem et situm remittere,* ad sua tempora temporumque partes amandare ac reponere res gestas et personas, de quibus narrationes exhibentur. Cfr. Goar. in emendat. et annotat. chronographiae Syncelli (Scriptor. Byzant. edit. Venet. an. 1729, tom. 5. p. 2).

Doctrina seu *scientia temporum* pressius accepta complectitur tum chronographiam tum chronologiam, quamvis non semper eo distinctionis sensu ab auctoribus usurpetur.

§ II.
Canones de computo discendo.

A.
Canones e jure antiquo.

4. Dici vix potest, quanta cum sollicitudine curatum per veteres canones sit, ut presbyteri notum haberent computum ecclesiasticum; etenim statuta ecclesiastica pene omnia illum clericis summa cura ediscendum praescripserunt, nimirum ut eo pacto invenire facile possent epactas, literas dominicales, festum Paschatis et alia festa mobilia per annum. Unde strictum imperium capitularis Caroli M. (edit. a. 805) *De computo: ut veraciter eum discant omnes. Cap. lib. 6. c. 226. coll. lib. 1. c. 68. et lib. 4.* addit. 1. § 5.[1]). Quod breviter et Herardus, archiepiscopus Turonensis in suis capitulis a. 855 inculcat cap. 125. praescribens, *ut presbyteri computum discant*[2]).

Cum Carolo M. atque Herardo mire consentiunt quotquot per ea tempora ac deinceps ecclesiasticae disciplinae regulas tradiderunt, ut adeo Ludovicus Cellotius in notis ad *c. 22. Cap. Walteri Aurelianen.* vere dixerit, episcopos notitiam computi ecclesiastici presbyteris et clericis pene non minus necessariam censuisse, quam orationem dominicam et symbolum. Ex eorum statutis pauca haec attulisse sufficiat.

Hincmarus, archiepiscopus Rhemensis, vir sua aetate cum paucis eruditus, in *capitulis synodicis anni 852*

---

[1]) Migne, Patr. lat., tom. 97., p. 283. Caeterum Carolus Magnus anno 787 Roma discedens praeter cantores Romanorum et grammaticos peritissimos, etiam *calculatores* secum duxit, ut est apud Ademarum in *Vita Caroli M.* c. 8. Quin ipse, teste Eginhardo, artem computandi didicit.

[2]) Migne, P. l., tom. 121., p. 773.

cap. 8. vult, ut presbyteri *de computo etiam necessario plenissime instruantur*[1]).

Walterus sive Gualterus, episcopus Aurelianensis, vir sacrorum canonum scientia ac pastorali sollicitudine insignis, in *capitulis synod.* anni 872 *c. 22.*, quod est *de computo discendo*, a presbyteris exigit, *ut calculandi peritiam habeant et suos* clericos[2]) aut scholares[3]) *in idipsum studiose erudiant*[4]).

Ratherius, episcopus Veronensis, qui floruit medio saeculo 10., in *synodica ad presbyteros* statuit,*ut computum minorem, id est epactas, concurrentes, regulares, terminum paschalem et reliquos, si est possibile, sapiant*[5]).

Ahyto (qui aliis Haito, Heito, Haido nuncupatur), episcopus Basileensis, vir sanctitate vitae, doctrina et rebus gestis longe clarissimus saec. 9. in *capitulari* ecclesiae suae, quod viginti quatuor constat capitulis, declarat *sexto, quae ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est: sacramentarium, lectionarium, antiphonarium, baptisterium, computus, canon poenitentialis. . . . Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit*[6]). Qui canon etiam prostat apud Burchardum, episcopum Wormatiensem[7]), tum *Decret. lib. 2. c. 2: Quae presbyteri necessario discere et scire debeant*[8]), tum *Decret. lib. 19. c. 8.*, ubi sic proponitur: *Nunc ergo o fratres, qui voluerit sacerdotis nomen habere, in primis propter Deum cogitet, ut discat ea quae necessaria sint, antequam manus episcopi caput ejus tangat, id est psalterium . . . computum. . . . Istud est simpliciorum, quia si unum defuerit, etc.*[9]). Habetur

---

[1]) Migne, P. l., tom. 125., p. 775.
[2]) C. *Ut quisque 3, X.* de vita et honestate clericorum (III. 1).
[3]) C. *Presbyter 1, X* de celebrat. missarum (III. 41).
[4]) Migne, P. l., tom. 119., p. 744.
[5]) Migne, Pat. lat., tom. 136., p. 564.
[6]) Migne, P. l., tom. 105., p. 763, et tom. 115., p. 11.
[7]) Burchardus ex monacho Lobiensi episcopus Wormatiensis ordinatus, divinarum scripturarum sacrorumque canonum eruditione claruit circa a. 1008.
[8]) Migne, P. l., tom. 140., p. 625.
[9]) L. c. p. 979.

etiam apud s. Ivonem, episcopum Carnotensem[1]), *Decret. part. 6. c. 22.* (Migne, t. 161., p. 450) et *Panorm. lib. 3. c. 24.* (l. c. p. 1135), ac tandem medio saeculo 12. relatus est in *Decret. Gratiani c. 5 dist. 38* his verbis: *Quae sint sacerdotibus necessaria ad discendum? Quae ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est liber sacramentorum, lectionarius, antiphonarius, baptisterium, computus, canon poenitentialis, psalterium, homiliae*[2]). . . . *Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit: quia valde periculosae sunt evangelicae minae, quibus dicitur:* Si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.

Quod si venerabilis Beda auctor esset ejus, qui inter ipsius opera recensetur[3]), libelli *De remediis peccatorum*, hujus canonis origo Haitonem integro saeculo anteisset. Admonitiones Bedae quippe tantum non ad verbum cum iis conveniunt, quae episcopus Basileensis in suo capitulari proponit. *Nunc ergo, fratres,* — verba sunt libelli citati — *qui voluerit sacerdotalem auctoritatem accipere, in primis cogitet propter Deum, et praeparet arma ejus, antequam manus episcopi tangat caput, id est psalterium, lectionarium, antiphonarium . . . computum, cum cyclo . . . poenitentialem.*

5. Episcopos porro nunquam non solerter providisse, ut canones allegati servarentur, ut nullus presbyterorum aut clericorum ab addiscenda computi scientia eximeretur, variae *admonitiones synodales* testantur, quas ex antiquissimis libris pontificalibus collectas exhibet Migne *Patrolog. latin.* tom. 132., a pagina 458 ad pag. 462. Harum prima seu *antiqua*, a diacono post evangelium legenda, sic habet: *Computum, si non majorem, saltem minorem, id est epactas, concurrentes, regulares, terminos paschales et*

---

[1]) Ivo, ep. Carnot., celeberrimus sacrorum canonum interpres, pietate ac doctrina conspicuus, duo eximia opera elucubravit circa a. 1080, quae extant apud Migne, Pat. lat., tom. 155—162.

[2]) Diversi hi libri ad brevitatem quandam redacti atque in unum opus conjecti ad usum psalmodiae ecclesiasticae accommodati sunt; unde factum, ut liber ecclesiasticum officium compendio complectens breviarium appellaretur *c. Ex praesentium 3, X.* de pignoribus *(III. 21).*

[3]) Apud Migne, Patr. lat., tom. 94., p. 569.

reliquos, si est possibile, sapiat (l. c. p. 458). Aliae duae, *nova* et *novissima,* quae ab ipso episcopo sedente in faldistorio legebantur, clericis illud ipsum injunxerunt hisce omnino verbis: *Ut computum minorem ad inveniendam literam dominicalem, tempus intervalli diei Paschae et majorum mobilium festorum non ignorarent* (l. c. pp. 460 et 461).

Neque alio spectant, quae iisdem ferme verbis leguntur tum in *homilia Leonis Papae IV. de cura pastorali* (Migne t. 115. p. 683), tum in *sermone synodali s. Udalrici, episcopi Augustani* (Migne t. 135. p. 1074), tum denique in *Commonitorio cujusque episcopi ad sacerdotes sibi subditos,* quod ex Martene sumptum monumentis saeculi 8. inseruit Migne, *Patrol. lat.* tom. 96., pag. 1375[1]). Nempe omnimodis cautum esse voluere ecclesiae praesules, ne quis presbyterorum aut clericorum computi scientiam per sacros canones tanta sollicitudine commendatam ignoraret.

Idem illud studium, quo episcopi instare atque urgere observationem canonum *de computo discendo* nunquam cessarunt, testatum tandem faciunt variae *inquisitiones canonicae,* quas vel in ipsis synodis, vel iis solutis per visitatores fieri per ea saecula jusserunt. Prioris h. e. *synodalis inquisitionis* exemplum habemus in antiquissimo illo *Ordine synodi,* quem ex ms. cod. saec. 9. inclyti monasterii ad d. Petrum Salisburg. O. S. Ben. erutum in lucem emisit cl. Phillips in actis literariis[2]) academiae C. R. Vindobonensis, mense Novemb. 1863 (tom. 44. pag. 436). Ibidem enim presbyteri in synodo requiri jubentur *de computo, qualiter* sc. *feriam, lunam et terminos paschales, septuagesimae, quadragesimae, rogationum, pentecostes mensiumque initia et praecipuas festivitates in anno* invenire sciant.

Visitationes ordinarias per singulas parochias instituendas quod spectat, ex capitulis inquisitionis Reginonis, abbatis Prumensis[3]), scimus, inter caetera, quae visitato-

---

[1]) De nexu inter homiliam Leonis Papae IV. (a. 855) et alias admonitiones synodales cfr. quae habet Migne tom 115., pag. 675 in *Collectoris praemonit.*

[2]) Cfr. Sitzungsbericht der philosoph.-hist. Kl. der kais. Akademie der Wissenschaften, Novemberheft des Jahrganges 1863.

[3]) Regino, abbas monasterii Prumensis electus a. 892, plura opera confecit, quae vide apud Migne, tom. 132.

ribus erant injuncta et illud fuisse, ut *presbyteri diligenter percunctarentur, si computum minorem, id est epactas, concurrentes, regulares, terminos paschales et reliquos sapiant.* (Cap. 92. apud Migne, *Patrol. lat.*, tom. 132., p. 191). Ne quis vero in hac investigatione ignorantiam suam defendere posset excusatione de defectu literarum auxiliarium caeterorumque praesidiorum doctrinae, sollicita cura providerant episcopi, ut et singulae ecclesiae, etiam minores, suum haberent computum, ad computum ecclesiae cathedralis conformatum[1]) et potiores libri liturgici in prooemiis suis continerent breves quasdam tractationes de temporum ratione scriptas cum *rotis paschalibus*[2]), prout etiam nunc videre est in antiquis libris, qui preces, caeremonias, ritus in missa atque in divino officio adhibendos exhibent. Ut vero artis rationes ac praecepta in his libris proposita frequenti usu atque exercitatione sibi familiares redderent, praeceptum singulis sacerdotibus erat, ut ipsi post acceptam notitiam termini paschalis libris suis *„festa omnia, vigilias et jejunia"* absque ullo errore insererent, uti habetur in concil. provincial. Ravennat. ann. 1311, rubric. X.[3]).

6. Nec alienam ab ecclesiasticis sanctionibus legem vitae doctrinaeque secuta est schola. Ejus rei locupletissimos testes habemus — praeter ipsam studiorum rationem in scholis ecclesiasticis receptam — celeberrimarum universitatum statuta, peritissimorum juris interpretum commentarios, doctissimorum qui per ea saecula floruerunt virorum elogia. Singula perquam breviter attigisse satis erit.

In *ratione studiorum* itaque computum in numerum sacrarum disciplinarum venisse, quas sibi colendas sumere deberent clerici, ex trito illo atque apud omnes pervulgato effato cognoscimus, quod veluti fundamentum omnis partitionis studiorum ecclesiasticorum commentariis suis praefixerunt scholarum magistri, nimirum *secundum Augustinum in domo Dei quatuor esse necessaria:* grammaticam *ad*

---

[1]) Cfr. historiam cycli Dionysii apud Migne, tom. 67., pag. 473 juncto Meichelbeck, *Hist. Frising.* n. 740. an. 855.

[2]) De rotis hujusmodi cfr. Migne l. c. pag. 477.

[3]) Hardouin., Coll. concil. tom. 7., pag. 1366.

verba Dei intelligenda et debito modo exponenda, musicam *ad laudes Dei decantandas*, jus canonicum *ad jura ecclesiastica discernenda et defendenda*, computum *ad festa mobilia et immobilia invenienda*. Cfr. Matth. et Anian. in indice auct. computist. Ad eandem normam exactae erant leges latae scholis ecclesiasticis, seu *seminariis*, in quibus juniores clerici ad omne clericalis officii munus instruebantur. Ad seminaria parochialia puerorum, quae Patres concilii Vasensis 2. 529 *secundum totius Italiae consuetudinem*[1]) in cujusvis parochi domo esse jusserunt, pertinent, quae ex cap. 22. Walteri Aurelianensis attulimus *de clericis studiose in computo erudiendis*. Ad seminaria majora autem, quae sive in monasteriis sive in aliis *domibus ecclesiae sub episcopali praesentia*[2]) ab antiquissimis usque temporibus constituta erant[3]) praeter canones de computo discendo jam adductos referri etiam possunt, quae tradunt ven. Beda de studio arithmeticae ecclesiasticae in scholis Anglorum *Hist. eccl.* lib. 4. c. 2.[4]) et Hoffmann de studio computi in monasterio Rhemensi sancti Remigii[5]) in *historia cycli Dionysii § 14.*[6]). Vide commentar. *de computo eccl. p. 195*, verb. *Sicfar*.

Omnes nimirum, qui sacri ordinis hominibus educandis erudiendisque praefecti erant, legem sibi scriptam nunquam non putarunt sanctionem illam capitularis Caroli M. (c. 72 lib. 1.) Aquisgrani anno 789 promulgati et *„De ministris altaris Dei et de schola“* inscripti, sc. *ut scholares*

---

[1]) Hardouin., tom. 2., pag. 105. can. 1.

[2]) Verba sunt concilii Toletani II. an. 531 (apud Hardouin., tom. 2.) pag. 1139) relata in can. *De iis quos* 5. dist. 28.

[3]) De scholis *juxta ecclesiam constituendis, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacent*, deque *ministris super eos eligendis* agunt, tum Eugenius II. et Leo IV. relat. in can. *Necessaria* 3, C. XII. 9. 1. tum Patres concil. Toletan. 4. an. 633 relat. in can. *Omnis aetas* 1. C. XII. 9. 1.

[4]) Migne, Patr. lat. tom. 95, p. 174.

[5]) De celebri hac schola Rhemensi s. Remigii, ipsa Parisina academia olim illustriore, copiose agit Joan. Launojus *de scholis celebrioribus*, c. 21.

[6]) Migne, Pat. lat. tom. 67., p. 472.

psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per singula monasteria vel episcopia discerent[1]).

Ab episcopalibus clericorum seminariis ad publicas *universitates* gradum facientes ex earundem numero antiquissimam academiam *Vindobonensem* memoramus, quae ad exemplum academiae *Parisinae,* tamquam *matris,* ordinata iisdemque juribus ac privilegiis gaudens veram imaginem *studii generalis* illius temporis exprimit ac dicere, si qua alia, pro testimonio potest, quibusnam literarum studiis ea tempestate universitates floruerunt. Jam vero computi ecclesiastici rationes traditam in iis fuisse argumento sunt ipsae leges academiae, quibus studia regebantur. Edicunt enim *Statuta facultatis artium academiae Vindobonensis*[2]) *titulo 12.*, qui est, *„de iis, ad quae baccalarii facultatis artium tenentur“ § ultim.*, ut *baccalarii hujus facultatis disputent, legant gratis et propter Deum computos et alia mathematicalia, praecipue tamen ecclesiae catholicae deservientia.* (Cfr. Pet. Lambec. *Bibliothec. Caesar.* lib. 2. pag. 212).

Ex *juris interpretibus*, qui necessitatem studii arithmeticae sacrae ex mente sacrorum canonum omnimodis propugnarunt, prae caeteris adducimus Guilielmum Durandum, juris utriusque doctorem celeberrimum et episcopum Mimatensem in Gallia Aquitanica, quem ob *Speculum juris* tribus voluminibus editum *Speculatorem* vulgo nuncupant[3]). Is vero in eximio suo *Rationali divinorum officiorum,* quod absolutum est an. 1286[4]), doctrinam canonis *Quae ipsis* 5 dist. 38. suam faciens lib. 8. cap. 1. *Sacerdotes*, inquit, *computum scire tenentur, alioquin vix eis nomen sacerdotis constabit*[5]).

Demum adeo laudata illa computi peritia in venerabili Beda, in Rabano Mauro, in b. Joanne Gorziensi[6]),

[1]) Hardouin., tom. 4., p. 842.
[2]) Ab omnibus facultatibus conjunctim confirmata an. 1389.
[3]) Cfr. Doujat., *Praenot. canon.* lib. 5. c. 5.
[4]) Ut ex lib. 8. c. 9. apparet.
[5]) De antiquissima versione Rationalis Durandi in linguam germanicam an. 1384, cui titulus: „*Die Auzlegunge und Sache der gotleichen Ampte*“ videsis Lambec, l. c. c. 8., p. 778.
[6]) Joannes, abbas s. Arnulphi Metensis, ratus neminem qui computi notitiae expers esset, doctum haberi posse, in caeteris laudibus,

in s. Wilfrido aliisque palam facit, in ea magnam scientiae partem scriptoribus ecclesiasticis visam esse consistere, ut adeo *ea rite intellecta jam tandem se quisque posset fateri scire, quod sacerdoti et religionis studioso esset omnium maxime necessarium*, ut habet *Praefat. ad comput. nov. et ecc. Anonymi 3.* de quo vide comment. *de comp. pag. 167*[1]). Sed nimius essem, si caetera hujusmodi documenta recensere scribendo vellem. — Et haec quidem de jure antiquo.

B.

Canones e jure novo.

7. Ad jus novum quod spectat, res quoque testatissima est, computum ecclesiasticum iis in eo accenseri, quae clericos ac presbyteros callere oportet. Juvenes in seminariis recepti — verba sunt concilii Tridentini, sess. 23. c. 18. *de reformat. — cantus, computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent.*

De valore hujus Tridentinae sanctionis autem nihil esse per contrariam consuetudinem detractum, ex variis Summorum Pontificum constitutionibus, necnon ex continuis praestantissimorum jurisperitorum commentariis intelligimus.

Pontifices quippe epistolis suis commonitoriis ad episcopos Tridentini decreti executionem urgere nunquam omiserunt. Sic Benedictus PP. XIII. constitut. *Credite Nobis* ed. VII. Idus Maj. 1725 de studiis clericorum in seminariis agens hunc in modum statuit: *Postremo saluberrimae praefati concilii dispositioni inhaerentes volumus, praecipimus et sancimus, ut in omnibus seminariis tam hactenus erectis, quam imposterum erigendis alumni grammatices, cantus Gregoriani, computi ecclesiastici aliarumque*

---

quibus beatum Joannem, abbatem Gorziensem, cumulat, et illud reponit, *quod regulas supputationum temporalium memoriae vivaciter ut nemo superius commendaverit.* Migne, Patr. lat., tom. 137., p. 25.

[1]) Hic liber in editione J. Weyssemburgeri anni 1513 (Landshuti impressa) ita inscribitur: *Computus novus et ecclesiasticus totius fere astronomiae fundamentum pulcherrimum continens, clericis non minus utilis quam necessarius.*

bonarum artium tantum disciplina erudiantur. Cujus constitutionis diligentem observationem inculcat concilium Romanum ejusdem anni tit. 30. *de magistris*, eamque accurate in omnibus sequendam in appendice exhibet sub n. 27. pag. 287 seqq. Habetur etiam apud Nicollis *Praxis canonica*, tom. 1. *de censibus* n. 23. Conferri quoque potest Benedictus PP. XIV. constitut. 2. tom. 1. Bullar. Benedict. XIV.

8. Neque justum neglecti Tridentini canonis dant colorem recentiores quidam theologi, dum ejus legis causam per eam, quae post concilium facta est, kalendarii reformationem e medio sublatam esse contendunt. Olim quidem, ajunt, sub antiquo kalendario res chronographica obscura fuit et difficiles habuit explicatus, ut adeo non mediocris computi peritia exigeretur ad kalendarium ecclesiasticum seu directorium conficiendum; a tempore restituti kalendarii vero nihil in ea re est negotii, quum et tempus celebrandi Paschatis sine ullo labore ac studio e tabellis breviario praefixis erui possit, et directoria ecclesiastica a singulis ordinariis quotannis edantur.

Ast accipienda excusatio haec non est. Et festa mobilia quod attinet, nec majorem difficultatem in iis determinandis habebant, qui ante tempora Gregorii PP. XIII. vixerunt. Res quippe indubiis testimoniis est comprobata, computum paschalem inde a saeculo 8. jam pro singulis clericis nullatenus fuisse difficultatibus obstructum; *tanta* enim *ubique calculatorum exuberabat copia, qui facillime poterant in quotlibet spatia temporis paschales extendere circulos, ut omnibus ferme ecclesiis circuli Paschae catholici abundarent*[1]). Ex iis vero *legentes quique futurum omnem paschalis statum temporis inerrabili poterant intuitu prospicere,* ut ait Beda *de temporum ratione* c. 63.

Praeterea sacris canonibus praescriptum *omnimodis* erat, ut singulis clericis *Pascha quota kalendarum die, vel quota luna deberet suscipi, authentice intimaretur* cc. *Placuit* 25. *et De observatione Paschae* 26. dist. 3. de cons., de quo

[1]) Ceolfrid. in ep. ad Naiton. Apud Migne, Patr. lat. tt. 89, p. 349 et 95, p. 271.

disciplinae capite vide quae habentur in com. *de computo eccl.* p. 99.

Quod vero ad varia festa per annum ordinanda spectat, neque id singulorum industriae simpliciter relictum voluerunt antiqui, quum non solum canones ecclesiastici, sed vel ipsi libri liturgici juberent episcopos subditis suis quotannis publice annuntiare quaecunque omnia e computo requiruntur ad directorium divinorum officiorum conscribendum[1]), quin tamen ob hanc facilitatem festa omnia suis locis inveniendi unquam omiserint exactam observationem canonum *de computo discendo* urgere.

Quod ergo Pontifices restituto kalendario subnectendos curarunt cyclos, ex quibus, *legentes quique*, ut verbis ven. Bedae utamur, *tempus Paschae inerrabili possunt intuitu prospicere*, ac caetera omnia facile invenire, quae ad usus ecclesiasticos scitu necessaria sunt, id profecto non efficit, ut clerici jam soluti existant obligatione, quae ipsis tot ac tam claris legibus, Tridentina maxime, est imposita.

9. Ex doctoribus tandem qui rationem studiorum in clericis instituendis declarantes ex mente concilii Tridentini computum ecclesiasticum doceri in seminariis debere expressis verbis tradunt, legi praeter alios possunt:

Zerola Thomas, Beneventanus, episcopus Minoriensis, († 1603), in *Praxi episcoporum:* part. I. verb. *Seminarium* ad IV.

Possevinus Antonius, († 1611), in *Bibliotheca selecta* lib. 4. c. 12. § 6. coll. c. 16. § ult.[2]).

Barbosa Augustinus, episcopus Ugentinus, († 1649), in *Collectan. doct.* ad cit. cap. concilii Tridentini.

Fermosini Nicolaus Rod. de, episcopus Asturicensis, († 1672), in *Tract. 1. crim.* in c. *Quia nonnullis* 4 de magistris (V. 5.), quaest. 1. n. 19.

Brancati Franciscus Laurent. B. de Laurea, S. R. E. Cardinalis († 1693), in *Epitome canonum*, verb. *Clericorum seminaria* § Pueri autem.

---

[1]) Pontifical. Rom. part. 3.

[2]) Cfr. *de computo eccl.* pag. 191.

Pilatus Leopoldus, Tridentin., et Jaurinen. eccles. canonicus, in *Originibus juris Pontificii* (editis anno 1739) lib. 3. tit. 9.

Devoti Joannes, archiepiscopus Carthaginensis, († 1820), in *Institut. canonic.* lib. 2. tit. 2. § 3.

Sinzel Michael, *Plan zu einem Clerical- und Priesterseminar,* pag. 153.

Doctissimus Praesul Aquitanus in celebri oratione habita in academia Religionis catholicae die 30. Septemb. an. 1864, edit. gallic. Paris. pag. 66.

Quibus addi et ii possunt, qui de doctrina promovendorum post concilium Tridentinum agentes vel generatim ab omnibus clericis notitiam arithmeticae sacrae hodieque exigi docent cum Franc. Zech († 1772)[1]), vel speciatim quoad paroecias conferendas cum Joan. Azor. († 1603) eos a munere parochiali de jure communi exclusos volunt, qui computum ecclesiasticum non callent[2]).

10. Denique post omnes alios accedunt, qui ex recentioribus argumentum libri *de computo ecclesiastico*, typis Atrebatensibus ante aliquot annos editi, in ephemeridibus publicis recensentes in suis de hoc opusculo judiciis auctoris consilium ea de causa vel maxime probabant, quod adversarios kalendarii Gregoriani refellendo simul vim legis Tridentinae in lucem protulerit atque illustrarit. Et nimirum cum hac laude librum *de computo ecclesiastico* censebant

in Germania:

Salzburger Kirchenblatt an. 1864. nr. 45;
Tiroler Stimmen an. 1864. nr. 282;
Christlicher Pilger nr. 27. an. 1864;
Augsburger Postzeitung. 13. Jan.
Oesterr. Volksfreund. not. liter. nr. 4.
Luxemburger Wort nr. 19. (22. Jan)
Chilianeum Würceburg. Nr. 2.
Eucharius Trev. nr. 11. (12. Mart.)
Katholik Mogunt. mense Mart.
Kölnische Blätter n. 228 (21. Maj.) coll. notit. lit. 1. Jan.

} 1865

[1]) Institut. juris canonici tom. 3. sect. 2.
[2]) Institut. moral. part. 2. lib. 6. q. 2.

In Croatia: Zagrebački Katolički List nr. 49. (8. Decemb. 1864);
in Hungaria: Religio 3. Decemb. 1864;
in Bohemia: Časopis katol. duchovenstva: 4. Februar. 1865;
in Gallia: Etudes rel. hist. et littéraires: Février 1865.
in Italia: Civiltà Cattolica nr. 365 (Giugno 1865); L'Eco delle Alpi retiche nr. 20 (18. Febbrajo 1865).

Jure optimo igitur Praesules nostri in seminariorum statutis praescribunt, ut clerici sacrae theologiae auditores juxta canonicas sanctiones computo ecclesiastico instituantur, in primis vero illis materiis summa cum cura erudiantur, quae ad usus ecclesiasticos, ad intelligentiam Missalis ac Breviarii[1]), atque ordinanda festa mobilia scitu necessaria sunt.

11. Sed praeter hoc legis praeceptum, quo clerici omnes obstringuntur, nostra hac tempestate et alia existit studii chronographici necessitas eaque gravissima, quod sc. eo in scholis clericalibus neglecto tota res kalendaria serius ocius in manus laicas deveniret atque ita ecclesia sua culpa primatum juris in constituendo aliquo negotio amitteret, quod tamen tum ex rei natura[2]) tum ex decretis

[1]) Eam in rem Acta literaria „*Der Katholik*" recte animadvertunt l. c., p. 359: Täglich nehmen wir das Brevier zur Hand, und mit keinem Buche werden wir so vertraut, als gerade mit ihm. Während wir aber einen grossen Theil des Psalteriums und der Lectionen fast auswendig wissen, bleiben uns die ersten zwanzig Seiten des Breviers oft in ein fast hieroglyphisches Dunkel gehüllt; und die meisten Geistlichen legen auf dem Todesbett ihr Brevier aus der Hand, ohne je diese Hieroglyphen entziffert zu haben. Und doch ist es der ausdrückliche Wunsch der Kirche, dass wir uns mit diesen dem Missale und Brevier vorgedruckten chronographischen Rubriken, dem sogenannten computus ecclesiasticus, vertraut machen.

[2]) Quibus in rebus sive per se sive per accidens ratio concurrit finis spiritualis cum temporali, in iis potestatem suam ecclesia jure naturali et divino exserit, civilis autem societas eidem cedere debet, quod probatum vide apud Tarquini: *juris ecclesiastici publici* lib. 1, cap. 1, sect. 2, art. 1, n. 54. Rem kalendariam autem rebus sacris annumerari debere indubitatum est, quia *pertinet,* ut Bene-

ecclesiasticis[1]) ad forum sacrum pertinet. Quod periculum quam praesens sit ac velut quotidianum, ex ipsa lite kalendaria non ita pridem a Russis per Francofurdienses redintegrata patet. In Austria accedit, quod quum orientales cum occidentalibus conjunctissime vivant, dissensiones de kalendario identidem incidere necesse sit. Sed qui tandem fieri potest, ut clerus latinus rectam suam Paschatis rationem contra orientales defendat, si rerum chronographicarum studium in seminariis sileat? Qui dijudicari sedarique poterunt de kalendario certamina, si literae auxiliares neglectae jaceant? Ejusmodi concertationes autem eo facilius oriri debent, quo major est orientalium numerus[2]), qui in viginti octo dioecesibus[3]) familiarissime utuntur occidentalibus quique eadem kalendaria mixti styli adhibent atque ipsi occidentales, uti supra monuimus pag. 135.

Caput III.

De nova kalendarii forma a Russis proposita.

12. Ineunte mense Julio 1864 communicatae nobiscum in senatu academico sunt literae inclyti collegii eruditorum

---

dictus PP. XIV. monet constitut. *Allatae* mox citanda § 1. *ad statuenda tempora paschalis solemnitatis et annuae communionis, sicut etiam Quadragesimae dierumque festorum mobilium quam immobilium*, quae omnia ad religionem spectant, quum honorem et cultum Dei, Sanctorum venerationem, finem supernaturalem et animarum salutem respiciant.

[1]) Jus kalendarii reformandi quum a sacro concilio Tridentino Sedi Apostolicae reservatum sit (Bulla Gregorii PP. XIII. *Inter gravissimas* in prooemio; Constitut. Benedicti PP. XIV. *Allatae* § 43.) Summus Pontifex jure merito asserit citata bulla *Inter gravissimas*, se in emendando proponendoque kalendario *exequi, quod proprium Pontificis Maximi esse soleat, ac pro data sibi a Domino potestate mandare, ut ab omnibus religiose suscipiatur religioseque observetur.*

[2]) In terris Austro-Hungariae numerantur christiani rituum orientalium 7.500.000 circiter.

[3]) Cfr. Symbolae, t. 2., pp. 1064—1067.

Francofurdiensium, cui nomen *Das freie deutsche Hochstift*, ad celebriores academias Germaniae datae, quibus Francofurdienses, quid de nova illa, quam Maedler in adjecto commentario[1]) suaserat, intercalandi methodo alii sentirent, exquirebant. Erant autem Francofurdiensium literae hoc ferme exemplo.

a. Pauca praefati de differentia inter duas intercalandi methodos, Julianam et Gregorianam, graviter conqueruntur et deplorant intollerabilem difficultatem, quae kalendarii diversitas mutuis populorum commerciis affert[2]), atque ex ipsa hac commerciorum negotiorumque frequentia verbosiori disputatione planum facere contendunt, commune kalendarium rem esse, qua populi carere amplius non possint[3]), adducta etiam eam in rem auctoritate Maedleri omni asseveratione affirmantis, omnes qui superent, merita illius nationis grato animo esse agnituros, quae rem tantae necessitatis ad effectum adducere serio aggressa fuisset[4]).

b. Ad rem kalendariam exinde transeuntes, communis kalendarii conficiendi caeterisque nationibus proponendi gloriam Germanis reservari tradunt, quod ad populares

---

[1]) Denkschrift des Herrn kais. Russ. Staatsrathes Prof. Dr. Maedler. Dorpat 13. Nov. 1863.

[2]) Der Verkehr wird bedrückt durch die immer unerträglichere Schwierigkeit, welche die Verschiedenheit beider Zeitrechnungen bereitet.

[3]) Je mehr wir die räumliche Trennung überwinden lernen, je allgemeiner und vielfacher der Verkehr in geistiger und sachlicher Mittheilung unter allen Völkern und Ländern der Erde ist, sich steigert: um so dringlicher und bedeutsamer erscheint das Bedürfniss einer allgemeinen, übereinstimmenden und durch die genaue Richtigkeit ihrer Grundlage an jedem Orte eine sichere Berechnung und Feststellung zulassenden und für möglichst ferne Zeiten von Fehlern befreiten Zeitrechnung. Et inferius:

Das Bedürfniss des regsten Verkehrs im Herzen von Europa fordert immer dringender die Verständigung zwischen der morgenländischen und abendländischen Zeitrechnung.

[4]) „Die Verständigung ist ein nicht abzuweisendes Bedürfniss — und der Anerkennung aller Jahrhunderte würde diejenige Nation sich versichert halten können, von welcher der erste thatsächliche Schritt zur Verwirklichung dieses Zieles ausginge.“ Ita Maedler: *Die gesammten Naturwissenschaften.* Aufl. 2. Bd. III. S. 671.

suos regnum in literis evidenter delatum sit[1]), seque idcirco Dno. Maedler, natione Germano, viro ingentibus in rem literariam meritis insigni, in academia Torpatiensi in Russia astronomo primoque hujus negotii impulsori[2]) curam dedisse, rationem novi kalendarii describendi, quam ipsi eruditis proponerent.

c. Denique in eam se spem erigi concludunt fore, ut principes operam suam cum doctorum studiis sociare velint ad opus perficiendum, quod cuique maxime necesse sit[3]), ejusque rei eo majorem fiduciam se habere, quod Alexander II., Imperator Russiae (cujus laudes plena manu in astra tollunt) novam hanc temporum rationem assensu suo sit comprobaturus[4]).

[1]) Die Anregung zur Verständigung, wenn sie Aussicht auf Erfolg haben soll, muss vom deutschen Volke ausgehen; — von demselben, an dessen Gränzen die morgenländische und abendländische Zeitrechnung sich vermischen und verwirren; vom deutschen Volke — das, friedfertig und ohne Eroberungsgelüste, der Bürge der Ruhe Europas, und jeder Glaubenslehre und Entwicklungsrichtung ihre Berechtigung gewährend, die Gegensätze derselben zu vermitteln sucht in höherer Gedankenweisheit und in menschenveredelnder Bildung.

[2]) Dem Herrn Mädler verdanken wir die Anregung dieser wichtigen Frage in unserer Zeit.

[3]) Somit dürfen wir hoffen, dass die weisen Staatslenker der am Weltverkehre betheiligten Völker der Erde gern geneigt sein werden, unsere Vorschläge zu unterstützen, wenn wir Ihren Beistand und Ihre mächtige Mitwirkung zur Veranstaltung einer gemeinsamen Verständigung anrufen.

[4]) Plerisque professoribus Universitatum quibuscum communicatae fuerunt literae Francofurdiensium, non probabatur, quod inclytum illud collegium eruditorum ad humilem et servilem adulationem Imperatoris se demittendo ejus amplitudinem ita illustrasset: „Auf des Czaren vorurtheilsfreie Geneigtheit, dessen erleuchteter Wille bei der zu erstrebenden Verständigung das gewichtigste Wort der Entscheidung zu reden haben wird, darf mit grösster Zuversicht gezählt werden. Die weisen Massregeln, durch welche seine Herrschaft schon nach so wenigen Jahren für immer in den Geschichtsbüchern seines Volkes mit unverlöschlichem Glanze verzeichnet ist, bürgen uns dafür.“

13. Commentarii autem a professore Torpatiensi compositi capita haec erant:

a. Quemadmodum e kalendariographia a variis populis magis minusve perpolita conjecturam merito facimus, quantum ii in literis artibusque fuerint eruditi; sic qui nobis mortuis futuri sunt hominibus curae a nobis in rationem temporum collatae argumento erunt, quantum in diversis artium disciplinarumque studiis saeculum hoc nostrum profecerit[1]). Serae igitur posteritati opinionique de nobis suae debemus, ut subtiliores observationes astronomicas in diligentiorem kalendarii castigationem conferamus sicque communi per omnia serviamus utilitati; nostrae nimirum existimationi, posterorum vero commodis curam habentes[2]).

b. Praestituta secundum supputationes *Lehmanni* media quantitate anni tropici

$$365.\text{ d. } 5.\text{ h. } 48.'\ 45.'' = 365\ \tfrac{31}{128}$$

contra auctores kalendarii Gregoriani, qui eam fecerant juxta Alphonsinos

$$365.\text{ d. } 5.\text{ h. } 49.'\ 12.''$$

ac proinde emergente differentia 27.", quibus annus Gregorianus superat verum annum medium, Gregorianam anni formam adeo vitiosam censet, ut jam praedicat, quam intollerabilem confusionem ea sit temporum successu invectura; post annos 300,000 nimirum Natalitiis Domini

---

[1]) Wir können gewiss sein, dass die späteste Zukunft in Beziehung auf unser Jahrhundert keinen andern Massstab anlegen wird, als den, den schon ein alter Grundsatz ausspricht in den Worten: *an ihren Früchten sollt ihr sie erkennen.*

[2]) Eine Kalenderverbesserung wird sich nie damit begnügen können, nur allein dem Bedürfnisse der Gegenwart zu genügen. Sie wird sich vielmehr ein höheres Ziel stecken; sie wird, und zwar so genau und gründlich, als sie es irgend vermag, auch die spätesten Geschlechter noch berücksichtigen, auf dass sie auch in der Erde fernsten Tagen erkennen mögen, was wir gewollt und vermocht und uns den Dank abtragen mögen für das, was wir geleistet.

ni dies vernos, festo Pentecostes autem in menses messorios retrolapsuris.[1])

c. Quanquam autem anni naturalis tropici magnitudinem a rerum coelestium gnaris praecise satis definiri jam posse statuat, tria nihilominus animadvertit notatu dignissima: *primum,* quod fatendum sit, nondum omnino exactam et constantem anni rationem dari posse[2]); *alterum,* quod tamen minutissima haec differentia nobis adhuc incognita in nullo discrimine sit ponenda, quum tam paucula temporis scrupula, multorum saeculorum successione etiam, variationis parum inducere queant[3]); *tertiam,* quod speciatim aequinoctii verni a canonica sua sede futura divulsio negligenda in praesens sit, existimans, rebus hujus mundi durantibus eos ipsos, qui futuri sunt, homines videre debere, num priscae ecclesiae sanctionibus satisfacere velint[4]).

d. Rejiciendae itaque Gregorianae methodo novam intercalationem in hunc modum substituit:

a) Quod Gregorius decrevit, ut in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine bissexto

---

[1]) Nach 300,000 Jahren wird Weihnachten in die Blüthenzeit der Natur, Pfingsten in die Erntezeit fallen.

[2]) Sind diese Angaben ganz genau und zuverlässig? Sie sind es in dem Masse, als unsere Kenntniss der Planetenmassen genau ist. Werden diese einst vollkommen scharf gefunden werden, so werden wir auch zu einer Kenntniss der tropischen Jahreslänge und ihrer Veränderungen gelangen, die als vollkommen genau bezeichnet werden kann. . . .

[3]) Wir mögen uns leicht darüber trösten, dass wir für so entfernte Zeiten jetzt noch nichts völlig sicheres vorauszubestimmen vermögen.

[4]) Wenn nun auch jetzt noch eine, wenngleich geringe Ungewissheit herrscht, so kann man den Geschlechtern, die dann noch möglicher Weise der „*letzten Dinge*" warten, getrost die Entscheidung anheimstellen darüber, ob sie sich diesen kleinen Spielraum der Frühlingsnachtgleiche von höchstens 2 Tagen hin und her gefallen lassen oder eine Anordnung treffen wollen, die geeignet ist, den 21. März durch alle diese Aenderungen hin beibehalten zu können.

transigerentur, quartus vero quisque esset bissextilis, corrigendum seu potius antiquandum id esse contendit, ejusque loco

b) cyclum annorum 128 assumendum proponit[1]), eoque evoluto intercalationem diei embolimaei omittendam esse suadet. Hujus periodi annorum 128 initium ducatur ab an. 1900; anni deinde exacte divisibiles per 4. omnes bissextiles erunt usque ad an. 2028, qui pro communi habebitur, et sic porro anni communes erunt omnes hujus formae 1900 + n. 128; centesimi contra regulae communi subjacebunt.

c) Festa mobilia quod spectat, licet circa eorundem rectam celebrationem nonnisi per generale omnium christianarum confessionum concilium statui quidquam posse autumet, putat tamen recedi a canonibus Nicaenis decernique posse, ut Pascha semper unius hebdomadis, h. e. septem dierum, spatio (ut prima dominica Adventus) agatur[2]).

e. Hac ratione credit, convenire tandem inter orientales et occidentales de communi eaque genuina kalendarii forma posse.

Hucusque commentarius D. Maedler, quemadmodum is in memoratis literis Francofurdiensibus extat.

---

14. Etsi autem nostrae de nova methodo sententiae plene explicandae in praesens haud possimus immorari, subjungimus tamen hic paucas nonnullas extemporales et obiter

---

[1]) Quum anni quantitas media putetur $365\frac{3}{1}\frac{1}{2}\frac{1}{8}$ d, necessario sequitur, periodum annorum 1 8 constare debere annis bissextis 31 et communibus 97.

[2]) Ob man nicht besser thäte, die ganze bisherige Art der *Osterrechnung* fahren zu lassen und den Ostertag so weit zu fixiren, dass seine Datumsschwankung höchstens *eine* und nicht wie jetzt *fünf* volle Wochen umfasste? Doch es ist besser, diesen Gegenstand nicht mit der allgemeinen Kalender-Angelegenheit zusammen zu werfen, da sie eine abgesonderte reinkirchliche Angelegenheit bildet und ihre Lösung wohl nur auf einem allgemeinen Concilium aller christlichen Confessionen finden könnte.

sub manu natas annotationes, quas velim ut candidus lector pro sua aequanimitate aequi bonique faciat[1]).

a. Occidentalibus quoque ac nominatim ecclesiae Romanae necessarium semper visum est commune omnibus nationibus kalendarium, quod ad leges astronomiae exactum ecclesiasticas sanctiones accurate referret, idque non solum propter civilium inter varios populos commerciorum frequentiam, sed multo magis propter communem rectamque Paschatis atque inde caeterorum festorum mobilium celebrationem, *ad conservandam,* ut ait Gregorius PP. XIII., *in celebrandis festivitatibus inter christianas nationes concordiam*[2]), ut ita constanti et omnis labis experte temporum supputatione ecclesiae unitas splenderet ac confirmaretur. Studium occidentalium populorum suae aetatis testatum reliquit ipse Gregorius PP. XIII. in *Bulla correctionis kalendarii;* quum enim *novam restituendi kalendarii rationem* — verba sunt Pontificis — *ad christianos principes celebrioresque universitates misisset, ut res, quae omnium communis esset, communi etiam omnium consilio perficeretur, illi, quod maxime optaverat* Pontifex, *concordes responderunt eorumque ipse omnium consensione adductus peritissimos viros emendationi kalendarii praeposuit opusque immensa Dei erga ecclesiam suam benignitate perfecit.* Et licet acatholici principes et respublicae initio pontificiam emendationem non reciperent, temporis decursu tamen kalendarii Gregoriani veritate, idoneitate atque utilitate perspectis abjectaque quam temere contra illud conceperant opinione catholicis accesserunt, sicque tandem magna omnium gratulatione effectum est, ut inter occidentales populos concordia circa kalendarium restitueretur[3]). Sed

[1]) Erat quidem optandum, ut ratio novi kalendarii a D. Maedler proposita in eruditorum theologorum manus veniret, qui rem tanti momenti acutius subtiliusque pertractare, iidemque uberius ac latius exponere possent; at donec chronographiae ac critices peritus censor potiora praestet, clerici exilibus his et paucis animadversionibus benevolo animo utantur, quas e scriniis canonistarum ac computistarum deprompsimus.

[2]) Bulla *Inter gravissimas* §§ 5. et 12.

[3]) Late hoc argumentum persecuti sumus in Commentario *de computo ecclesiastico* cap. 2.

nec inter ipsosmet orientales deerant, qui kalendarium Gregorianum susciperent, uti videre est ex iis quae habet Benedictus PP. XIV. constitut. *Allatae* § 46. edit. 26. Jul. 1755[1]). Ast Russi magis odio Romani Pontificis et religionis, cujus ipse est caput, quam quod factum culparent, occidentalium emendationem adeo abhorruerunt, ut vel ipsis provinciis catholicis antiqui regni Poloniae, quae inde a temporibus Stephani Battorii, regis Poloniae, Gregorianum kalendarium jam habuerant, in priori divisione regni Poloniae vero cum imperio Russiaco incorporatae sunt, errores antiqui kalendarii iterum obtruserint[2]). Itaque per ipsos Russos mutua populorum commercia inexplicabilibus illis difficultatibus obstructa sunt, quas nunc D. Maedler, apud Torpatienses in Russia professor et Imperatori a consiliis status, tolerari jam posse negat et de quibus, Russorum nomine ac commodo, apud varias uni-

[1]) Regula generalis est, subditos quatuor patriarcharum orientis non ligari novis pontificis constitutionibus nisi in tribus casibus: *primo* in materia dogmatum fidei; *secundo*, si Papa explicite in suis constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis; *tertio*, si implicite in iisdem constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum concilium. Vide ea de re editum decretum relat. apud Benedictum PP. XIV. tum *De canonizatione Sanctorum* lib. 2 c. 38, n. 15, tum constit. *Allatae* ed. 26. Julii ann. 1755 § 44. (Bullar. Bened. PP. XIV. tom. 4. p. 135). Quoad quaestionem autem, utrum bulla Gregorii PP. XIII. *Inter gravissimas* orientales afficiat, Benedictus PP. XIV. statuit constit. *Allatae* cit. nn. 45—46: *a)* Italo-Graecis indictum fuisse kalendarium Gregorianum, sed ita ut leniter cum iis sit actum; *b)* Graecis orientalibus autem propositum tantum fuisse, sed nonnisi volentibus injunctum. Ex iis Maronitae kalendarium emendatum susceperunt in synodo provinciali an. 1736, velut cognoscere licet ex constit. *Allatae* loco in textu indicato.

[2]) Repete ea, quae de correctione kalendarii dicta sunt in Commentario *de computo eccl.* pp. 61 et 205. Caeterum vel ipsi eruditi Francofurdienses obstinatum in errore animum adversariorum ex odio religionis deducunt. Ita enim verissime loquuntur lit. cit.: Eine Verständigung hätte schon vor Jahrhunderten stattfinden können. Die Geschichte lehrt uns, dass theils ein falscher Glaubenseifer, theils und vielfach unter dem Deckmantel des erstern, engherzige Eifersucht in der Behauptung der irdischen Macht dieselbe nicht zu Stande kommen liess.

versitates Germaniae multa queruntur eruditi Francofurdienses lit. cit.

b. Acri sua disputatione pro novo eoque communi kalendario eo jam spectant Russi, ut se ab erroribus antiqui kalendarii liberent, quin ea, quae prius per repetitas leges statuerant, revocare cogantur. Quod ut absque dignitatis suae imminutione consequantur, hoc stratagemate utuntur. Errores exiguos correctionis Gregorianae, si qui sint, jactando atque in majus extollendo, manifesta vitia proprii sui kalendarii contra alto silentio praetereundo, non expetiti, occidentalibus se offerunt magistros aliam eisdem suadendo kalendarii rationem simulque Imperatoris Russorum benignum consensum favoremque tanquam spem ferendi praemii ostendendo, siquidem novum kalendarium acciperent. Ast ferendum non est, ut kalendario occidentalium inutilitatis nota affingatur utque — quoad emendationis necessitatem — in eadem quasi linea cum kalendario Juliano ponatur, quo Russi per novum aliquod kalendarium omnibus commune difficultatibus evidentibusque erroribus suis se extricare possint. Etenim kalendarium occidentalium, quo nihil simplicius et popularius fingi potest, civili societati adhuc idoneum esse, ex eo patet, quod vel ipse Maedler fateatur, ejus correctionem non apparere necessariam ante annum 2028. Quodsi vero post plurium saeculorum decursum aliqua correctio videatur adhibenda per extraordinariam unius diei intercalationem, fieri id facillima ratione potest salvo systemate kalendarii Gregoriani adaequate sumpto et rite intellecto; tantum enim abest, ut ejusmodi insertio aliena a Gregorii PP. XIII. mente dici debeat, ut potius ejusmodi casum praevidens occurrenti defectui medendo hujus intercalationis medium ipse in antecessum proposuerit ac praescripserit: retenta caeteroquin consueta ἐμβολιμῆς forma[1]).

[1]) „Qui tamen error, si ad unum diem excreverit, facile per intercalationem extraordinariam unius diei in aliquo anno communi corrigetur.“ Ita Clavius *Romani kalendarii explicat.* cap. 5. editionis Moguntinae an. 1612 pag. 23.

Secus porro se res habet quoad kalendarium orientalium. In tirociniis haereret computi ecclesiastici, qui nesciret juxta leges kalendarii Juliani

a) *Aequinoctium vernum*, quod Caesaris aevo 24. circiter Martii tenuit, hodie in 8. Martii remeasse, fierique post multa saecula debere, ut verni tandem dies in Februarium et ultra, h. e., in menses hibernos sint retrolapsuri;

b) *Cycli lunaris* methodum adeo vitiosam esse in assignandis noviluniis, ut nostra aetate luna jam corniculata appareat, quum tamen juxta *numerum aureum* in kalendario Juliano adhuc coitum facere deberet;

c) quod ex praecedentibus resultat, *Pascha* ac per consequens reliqua etiam mobilia festa secundum Nicaenae synodi decreta non amplius celebrari, sed nonnunquam octiduo, aliquando integro mense, aliquando et quinque hebdomadis serius, uti v. g. evenit anno 1869. Videsis *Comput. eccles. pag. 130*[1]). Qua triplici labe quum expers sit kalendarium occidentalium, non est, cur hi commoveri se sinant ad gratificandam Russis praeclaram suam temporum rationem.

c. Quod si Maedleri judicio gratiam illi habere debemus, qui exacti communisque kalendarii restituendi vel solum initium facit, est profecto, cur grata mente memoriam recolamus tot insignium virorum, in ecclesia catholica pietate et doctrina florentium, Summorum Pontificum maxime, qui nil unquam intentatum liquerunt, ut kalendarium ad canones astronomicos exactum usibus civilibus accommodarent. Ex iis quae ea de re copiose disputavimus in *Computo ecclesiast. cap.* 2. satis sit haec memorasse.

---

[1]) Rebus hujus mundi durantibus Pascha Graecorum in menses aestivos et ultra prolapsurum esse, computus ecclesiasticus docet. Sic, ut unius saeculi exemplo proposito hanc festorum *προέμπτωσιν* illustremus, ab anno 4000 ad annum 5000 Pascha ter incidet in 24. April. *vet. stil.* qui dies 29. Maji respondet juxta exactam supputandi rationem kalendarii occidentalium: sc. annis 4901, 4985 et 4996, ut adeo festum Pentecostes medio fere mense Julio agendum sit, quae omnia late exornavimus in *computo eccl.* pp. 130—131.

Petrus de Alliaco, cardinalis Cameracensis[1]), Joanni PP. XXIII. et synodo Romanae an. 1423 libellum obtulit *de emendatione kalendarii*, quo accepto Pontifex decretum circa istam causam formavit, illud tamen executioni mandare noluit, usquequo sedato schismate Deus ecclesiae suae pacem reddidisset. Schismaticis Pontificibus sede motis idem cardinalis libellum suum cum decreto Pontificio exhibuit concilio Constantiensi an. 1417. Quum autem nec hoc loco res perfecta fuisset

Nicolaus Cusanus[2]) in concilio Basileensi idem argumentum erudito opusculo tractavit.

Rursus constitutum erat *Leoni PP. X.* negotio kalendario finem imponere in concilio Lateranensi V., quapropter ad Maximilianum Imperatorem scripsit, ut ejus jussu praestantes mathematici vel Romam venirent, vel per literas mentem suam aperirent in decima concilii sessione kalendis Decembribus an. 1514 habenda. Votis Pontificis satisfacturus Imperator ejus voluntatem academiae Ingolstadiensi significavit, ex qua Doctor *Joannes Eckius* libellum, cui titulus: *de vera Paschatis celebratione Joannis Eckii theologi*[3]) *diarthosis ad Leonem X. Pont. Max.* Romam misit.

Sed gloriam confecti hujus negotii Deus reservavit *Gregorio PP. XIII.*, qui, *ut res, quae omnium communis esset, communi etiam omnium consilio perficeretur, an. 1577 compendium novae rationis restituendi kalendarii* misit ad principes et celeberrimas quasque academias, adhortans

[1]) Petrus de Alliaco, natione Gallus, cardinalis et episcopus Cameracensis, academiae Parisiensis cancellarius et in collegio Navarensi praeceptor Joannis Gersonis, natus anno 1350, obiit 1425. *(De comput. eccles.* p. 160.)

[2]) Nicolaus de Cusa, quae est villa ad ripam Mosellae, in dioecesi Trevirensi, illustris cardinalis, Pontificis in Germania legatus, episcopus Brixinensis, subtilissimi ingenii philosophus, theologus et mathematicus multarumque linguarum peritus, praeter alia quam plurima, scripsit *de reparatione kalendarii.* Decessit Tuderti in Umbria 1464 annorum 63. *(De comput eccles.* p. 173.)

[3]) Joannes Eckius, artium, decretorum et theologiae Doctor, professor Ingolstadiensis celeberrimus, Mederero teste ante alios omnes docendo, disputando, scribendo effulsit, *haeresiomastix* vulgo dictus. Obiit an. 1543. *(De comput. eccles.* p. 176.)

mathematicos, ut re diligenter considerata, aut ea quae proponebantur probarent, aut, si quid istis rectius nossent, candide impertiri vellent, promittens insuper, quae ratio majori doctorum virorum parti aptior convenientiorque visa fuisset, eam quasi totius christiani orbis consensum se esse probaturum ac secuturum[1]). Auditis igitur ponderatisque doctorum hominum sententiis negotium hoc feliciter absolutum et kalendarium novum, regulis astronomiae accurate accommodatum, per orbem christianum promulgatum fuit adjecta, quam jam adduximus, bulla *Inter gravissimas* VI. Kal. Mart. 1582[2]), in qua Pontifex totius operis rationem declarat: nimirum, quomodo ipse in hac cogitatione curaque versatus peritissimos viros emendationi kalendarii praeposuerit, eorum industria adhibita confusionem omnem sustulerit, menses diesque praecurrentes retraxerit ac labantem festorum normam juxta oeconomicae synodi Nicaenae normam restituerit, certis datis regulis in aeternum duraturis. Atque hic ille est *Gregorius PP. XIII.*, patria Bononiensis, vir orbi literario rebus praeclare gestis notissimus, qui omnes virtutes Summo Pontifice dignas felicissimo nexu copulavit, cujus pietas, doctrina, prudentia perenni elogio celebrabitur. Ad laborum praemia evocatus obiit anno 1585, aetatis 83. Academia Bononiensis civi suo hocce mnemosynon posuit:

GREGORIO XIII. PONT. MAX.
ANNUARUM REVOLUTIONUM FELICISS.
RESTAURATORI.

Tempora qui seros Phoebi referentia gyros
Toto, sancte senex, orbe venire facis:
Scilicet ut redeat nunquam revocabilis annus
Atque suam teneant festa sacrata diem
Nae Tu caelicolis gratum atque perutile nobis,
Immortale Tibi conficis auctor opus.

---

[1]) Extat apud Clavium, *Operum Mathematicorum*, editionis Moguntinae an. 1612 tom. 5. pp. 3 seqq.

[2]) Bullar. Magn. edit. Luxemburg. tom. 2. pp. 487 seqq. et Clav. loco quem modo indicavimus pp. 13 seqq.

d. Canone a Maedler praestituto, ex diversarum gentium anni kalendariique ratione diligenter perpensa ferri judicium de literarum artiumque cultura posse, jure merito inferimus, in designanda recta anni forma atque in tuenda genuina kalendarii methodo rem ecclesiae catholicae prae caeteris christianis confessionibus hucusque adeo inferiorem non fuisse, ut imo palmam manifesto tulerit.

e. Cum eodem professore consentimus, anni intercalationem (quum ea sit ἐμβολιμῆς ratio ultima, ut temporis cum motu solis ἐφάρμωσις, ut Graeci dicunt, obtineatur) quo minor, quo itidem expeditior, quo denique in annorum periodorum defectibus sarciendis verum propius assecuta fuerit, eo et meliorem extituram[1]); negamus tamen, Gregorianam methodum hisce dotibus carere, vel ex ea — adaequate sumpta et rite intellecta — illa confusionis incommoda emergere, quae Maedler adducit, prout commodum ex authentica *Explicatione* Christophori Clavii[2]) notavimus (heic p. 160). Unde

f. Censemus retinendam omnino Gregorianam intercalandi rationem, curandumque, ut mens Pontificis Maximi exacte impleatur. Id vero — in memorata hypothesi mediae quantitatis anni tropici — eo fieri modo credimus, quem doctissimus D. *E. Heis*, professor Monasteriensis, in suis ad Francofurdienses hac de re datis responsis[3])

---

[1]) Die praktische Seite der Frage fordert eine Anordnung, die durch möglichste Einfachheit, leichte Verständlichkeit und bequeme Anwendbarkeit, so wie durch Anpassen an die bestehende Einrichtung, ohne schroffe und störende Uebergänge, sich zu einer volksthümlichen eignet.

[2]) Clavius, Christophorus, S. J., natione Germanus, patria Bambergensis, mathematicorum princeps ac sui temporis *Euclides* vulgo dictus, unus ex omnibus a Summis Pontificibus electus est, qui kalendarium reformatum explicaret, quod luculentissime fecit: reformationem etiam contra Maestlinum et Scaligerum egregie tutatus. Fuit in eo non minor animi demissio morumque religiosissimorum sinceritas, quam ampla rerum mathematicarum eruditio. Aetate meritisque gravis Romae vita defunctus est die 6. Febr. an. salutis 1612, aetatis 75. Vide *de computo eccles.* p. 173.

[3]) Denkschrift des Herrn Prof. Dr. Eduard Heis, mit Rücksicht auf die Denkschrift des H. Dr. Maedler d. 11. April 1864. (Refertur in ephemeride *Natur und Offenbarung,* tom. X, fasc. 9 pag. 411).

suggessit, scilicet ut — servatis quoad caeteras periodos Gregorianis intercalandi legibus — ab anno 3200 post singulos annos 3200 unus pro non bissextili habeatur, ut adeo bissextis adnumerandi non sint v. g. anni 3200, 6400, 9600 etc.

g. Sedem Paschatis quasi immobilem, h. e., intra septem dierum spatium figendam, quod spectat, id recipi ab ecclesia catholica nunquam posse indubitatum est, quum christianae traditioni manifesto repugnet. Quod ex ipsis rationibus christiani Paschatis rite agendi jam est paulo accuratius ostendendum.

Caput IV.

De veris rationibus Paschatis rite celebrandi.

15. *De distinctione inter solemnitatem Resurrectionis et festum Paschatis.*

Vetustiora kalendaria cum martyrologiis plerisque *festum Resurrectionis Dominicae* a *solemnitate paschali* distinguunt[1]); illud enim festis immobilibus accensent, cui agendo diem 27. Martii assignant[2]); Pascha vero, ut ante Hebræis fuerat, sic deinde Christianis festum mobile seu conceptivum semper fuit: quamquam hi aliquando in ejus die designando inter se dissenserunt, quod non omnes uno eodemque cyclo uterentur.

De officio diem Paschatis rite designandi ac legitime publicandi.

[1]) Hanc in rem consulenda tibi sunt quae post hagiographos Bollandianos ad dies 25. et 27. Martii (ejusdem mensis tomo 3., p. 684) ex antiquis kalendariis Neapolitanis et Siculis enotavit Mazochius, *Kalendar. Neapolit.* t. 1., p. 113; itemque legendae animadversiones Ruinartii *in s. Gregor. Turonen., histor. Francor.* l. 10., c. 31 (apud Migne, Patr. l., t. 71., p. 566); nec minus videnda quae Alemanni scripsit in *Kalendar. pugillar.* ad d. 25. Mart. (apud Mai, Nova PP. biblioth. t. 6., part. 2., p. XXXIX).

[2]) Hinc consequens fuit, ut ad eandem numeri rationem *Ascensio Domini* consignaretur die 5. Maji, *Pentecostes* autem die 15.

Legitimus dies Paschatis ex Nicaenae synodi decreto ab ecclesia Alexandrina Sedi Apostolicae quotannis erat intimandus atque inde a Romano Pontifice toti orbi cum auctoritate praescribendus.

En tibi pauca ex multis, quae eam in rem scripsimus in Commentario *de computo ecclesiastico*, pp. 97 seqq.: *Sanctorum totius orbis synodi consensione decretum est* — verba sunt s. Cyrilli Alexandrini in *Prologo paschali* anni 437, § 2[1]) —, *ut, quoniam apud Alexandriam talis esset reperta ecclesia, quae hujus scientiae perfectione clareret, quoto Kalendarum vel Iduum, et quota luna Pascha rite debeat celebrari, per singulos annos Romanae Ecclesiae intimaret: unde Apostolica auctoritate universalis Ecclesia per totum orbem definitum Paschae diem sine ulla disceptatione cognosceret.* — Alia in eandem sententiam scripta e s. Leonis M. *epistola (121.) ad Mauritium imperatorem* vide in ipso Com. *de computo ecclesiastico*, pp. 98—99.

Sed et multo ante jam ecclesias omnes a Summo Pontifice *juxta consuetudinem* praemoneri quotannis volucrant patres concilii Arelatensis an. 314, cujus hic canon primus fuit, quo s. Silvestrum alloquuntur: *Primo loco de observatione Paschae Dominici, ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur, et juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas*[2]). Atque huc pertinent celeberrimae *epistolae paschales*, de quibus praeter auctores a nobis adductos (*De computo*, p. 98) videri meretur Mai *Nova PP. biblioth.*, t. 6., ubi etiam epistolae paschales s. Athanasii syriace et latine exhibentur.

16. *De tribus elementis regulae paschalis.*

Canonem de recta Paschatis celebratione s. Victor PP. I. (193 — 203) in disceptatione a judaizantibus excitata, exemplo s. Pii PP. I. (158—167), ex Apostolica traditione determinavit. *Hic enim*, teste Libro Pontificali, c. 14., *fecit statutum ad interrogationem sacerdotum de circulo Paschae*

[1]) Apud Migne, Patr. gr. t. 77., p. 384. Accuratius tamen exhibetur a Krusch, *Studien zur christl. mittelalt. Chronologie*, p. 338.

[2]) Apud Hardouin. Concil. t. 1., p. 263. Cfr. etiam Krusch, l c. pp. 69—70. Refertur in corpore juris sacri C. *De observatione Paschae* 26. dist. 3. de cons.

cum presbyteris et episcopis facta collatione[1]), *ut a quarta decima luna primi mensis*[2]) *usque ad vicesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha*[3]). Quod Victoris statutum, Pseudo-Isidori conceptum verbis, corpori juris canonici insertum legitur can. *Celebritatem.* 22. dist. 3. de cons. Neque alio spectat can. *Nosse,* 21. ejusdem dist., confectus secundum Libri Pontificalis c. 12[4]). Quum postea tamen in *Syria, Cilicia et Mesopotamia iterum inveniretur ab ecclesia catholica dissentientes, et eodem quo Judaei tempore Pascha celebrantes*[5]), Patres Nicaeni *inter illa fidei ut vera ita admiranda decreta etiam super celebritate memorata*[6]) *communi omnium judicio definitionem* ediderunt, ut, *Judaeorum consuetudine relicta, sanctissima haec solemnitas uno eodemque die ab omnibus ubique celebraretur*[7]).

[1]) Hoc est, explicante ibidem Bencinio, post epistolas episcoporum qui singuli in singulis provinciis responsa ad Victoris interrogationes dantes unanimi voto rescripserunt, Pascha celebrandum esse die Dominico post lunam 14. primi mensis.

[2]) *Primus mensis* lunaris is est, cujus dies 14. aequinoctium vernum proxime sequitur, quique proinde in *Nisan* (Aprilem) desinens ab hoc nomen invenit — juxta notissimam regulam chronographicam relatam in *glossa ad can. Celebritatem cit. verb. primi mensis,* quod nimirum lunationes in uno mense coeptae atque in sequenti desinentes, alteri huic mensi tribuuntur, in quo clauduntur.

[3]) Apud Migne, Patr. l. t. 127., p. 1279.

[4]) Ibid. p. 1213.

[5]) Cfr. s. Athanas. *epist. ad Afros eppos.* (apud Migne, Patr. gr. t. 26., p. 1031).

[6]) Ita s. Ambrosius in *epistola ad eppos. Aemiliae* (epist. 23., classis 1., apud Migne, Patrol. l., t. 16., pp. 1026 — 1027). — Quodsi vero quaeratur, quonam sensu placitum Nicaenum *de Paschate rite agendo decretum fidei* nuncupari queat, quum tamen Ecclesia absolute potuisset permittere, ut christiani eodem quo Judaei tempore Pascha celebrarent, respondendum est opportune adhibita illa distinctione, quam in *computo eccles.* proposuimus pp. 97—98: scilicet *per se* quidem ad fidem non pertinere, utrum Pascha celebretur cum Judaeis luna 14., an die Dominico sequenti; pertinere autem *ratione connexionis,* si v. g. ideo agatur luna 14. primi mensis, quod putetur *typica* illa lex Mosaica de Paschate celebrando in N. Test. adhuc obligare; est enim contra fidem, credere venturi Messiae typos ejus adventu ac morte non esse sublatos.

[7]) Desumpta haec sunt ex epistola Constantini imp. *De rebus Nicaeae gestis,* relata ab Eusebio in *Vita Constantini,* l. 3., cc. 17—20 (apud Migne, Patr. gr., t. 20., pp. 1075 seqq.).

Jam quae ad historiam pertinent hujus controversiae, quae item ad decretum Nicaenum et omnis generis monumenta huc spectantia, in cl. D. professore Parisiensi L. Duchesne velim quaeras, qui singula summo studio exquisivit, et recentissime in Actis literariis *Revue des questions historiques* hoc commentario illustravit: *La question de la Pâque au concile de Nicée* (1880 — tom. 2 — pp. 6 seqq.).

Tria igitur *sunt praecipue,* verbis utimur s. Epiphanii, *Haeres.* 70., n. 12., *quibus Paschatis celebritas alligatur* (ἐκ τριῶν συνέστηκεν ὁ τοῦ Πάσχα σύνδεσμος): *solis in primis cursus, idque propter Dominicam ac mensem*[1]*), tum lunae itidem cursus, idque propter legem, quae 14. luna immolari Pascha praecipit*[2]).

Haec tria autem lib. 2., *Haer. 50.* apertius ac distinctius docet esse *lunam 14., aequinoctium ac diem Dominicum,* singulorum rationem insuper ita declarans n. 3[3]):

